





Guidi

# LOGICES ELEMENTA

MATHEMATICA METHODO DISPOSITA


*Ad usum Adolescentium Ordinis Minorum*

A

FR. NICOLAO HONORATI DE CRACO LUCANO

Ex Ordine Minorum Observantium S. Francisci

*Philosophiæ Lectore.*



Ex dono Auctoris




NEAPOLI CIↃ. IↃ. CCLXXX.

Ex Typographia JOSEPHI CAMPO.

*Superiorum Facultate.*

GVIDI

*Corona Sapientiæ timor Domini.*
*Eccli.* cap. I. v. 22.

*Quomodo ratio ad alia fabricanda transiret, nisi prius suas regulas, & præcepta quasi quædam machinamenta distingueret, notaret, dirigeret, proderetque ipsam Disciplinarum disciplinam, quam Dialecticam vocant. Hæc docet discere, in hac sibi ratio demonstrat quæ sit, quid velit, quid valeat: scit autem scire, sola vult Scientes facere, nec solum vult; sed etiam potest.*

S. Aug. lib. I. *de Ordine* cap. 18.

*REVERENDISSIMO PATRI*

# FR. PASCHALI FROSCONIO

## A VARISIO

Lectori Emerito, Catholicæ Majestatis in Regali Matritensi Congressu pro Immaculata Virginis Conceptione Theologo,

A C

Totius Ordinis FF. Minorum S. P. N. Francisci

## MINISTRO GENERALI

Commissario, Visitatori Apostolico Meritissimo;

*FR. NICOLAUS HONORATI*

Perpetuam Felicitatem.



Uod tuum est Tibi offero, REVERENDISSIME PATER, dum hæc a me ad usum nostri Coëtus Adolescentium Logices disposita Elementa clarissimo

ſimo Nomini tuo inſcribo libentiſſime. Tua enim in primis peculiaris voluntas fuit, ut optimos Ordinis Præceptores tum Felſinæ, cum heic Neapoli audirem, qui mihi ſitienti fontes ſapientiæ aperirent: quidquid ergo ſum inibi profectus conſequutus, Tibi jure debebatur. Cautum erat inſuper, ut quidquid bonæ voluntatis ſubditis ac filiis elargitur, per Superioris ac Patris manus iiſdem conſignetur. Præter quam quod hæ laborum meorum primitiæ vagari videbantur, & poſt earum curſum Te unice, MECOENAS AMPLISSIME, ceu magnes polum, ſanguis cor, rivuli Oceanum, acri intentoque animo intueri: quod ſane in cauſa fuit ut velle meum ultimo firmarem ad opus hoc mole parvum, emolumento maximum Tibi unice ſacrandum. Plu-

ra ad Tui laudem profequerer, nifi mihi certo conftaret quam magna fit modeftia tua, tuarumque virtutum gloria omnibus notiffima haud foret. Hofce igitur labores meos, quicunque illi fint, læta qua foles fronte fufcipias, enixe precor; & ficuti humillimi obfequii funt, gratique animi erga Te mei argumentum; ita potentiffimi erga me tui patrocinii perpetuum monimentum exiftant.

AD

# Ad Lectorem.

SI quas Deo O. M., erudite Lector, pro innumeris nobis largitis benefactis, grates debemus maximas nos mortales, principem & potissimam illam adpellare non ambigo, quæ *Rationem* ac *intelligentiam* spectat, qua decoratos nos in primæva Mundi fabrica benigniter voluit ipse Deus. Hac namque una animantia antecedimus, Deo approximamus. Equidem primum: cætera nostra communia animalibus sunt, ratio autem solius hominis propria. Vivit homo? & arbores, & reptilia, & volatilia, & quadrupeda. Sentit? verum attentius belluæ. Voces mittit? sed quanto dulcior luscinii, clarior canes, acutior aquilæ? Fortis est? & leo, & ursus, & panthera. Formosus? & psittaci, & pavones. Advenit tandem ratio, qua homo verum capit & falsum, bonum & malum, unum ex altero infert, futura quoque augurando, juxta Ovidii illud (a):

*Augurium ratio est & conjectura futuri*:

& bruta ventri tantum obedientiæ a natura subjecta, quocirca nec societati nec legibus adstringuntur, in hoc manca, hominibus inferiora, eorumque potestati ac imperio juxtà æternas Dei leges summissè palam se mancipata commonstrant. Secundum etiam: Deus enim rationabiliter omnia initio temporis est molitus, ceu in dies præstat, in sapientia, pondere, & mensura singula ordinando. Magna itaque ratio, jure dicam, quia homines brutis nobiliores, propioresque Deo facit!

At quia in se spectata nuda est mentis affectio, quæ prehenduntur colligandi & distinguendi potens, ideoque omnibus communis hominibus, iis pariter quos juxtà Virgilianum illud fors tellurem

 cœli

(a) *Trist. 1. Eleg. 8.*

*coli dedit & contemnere ventos:*
eo quis fama dignior est ideo consendus, quo saniori, cultiorique ratione illustratur: Nam

*Qui plurimum mente pollet, plurimorum vates est* (a): hoc ergo inter excultam rationem, & rationem discrimen statuo, quod inter vitam, & bonam vitam. Est igitur ratio colenda, simulque arte regulisque informanda.

Et primo viriliter hoc præstitere e vetustioribus (nil de antediluvianis soliciti) Chaldæi, Ægyptii, Persæ, Græci, Romani, qui sensim rationem augendo, nedum a Majoribus accepta illustrarunt, sed innumera adinvenere ipsi etiam, uti cuique vel parum in priscis versato patescit (b). Hoc ex Ethnicis Thales Milesius, Pythagoras, Zeno Eleates, Socrates, Plato, Euclides Megarensis, Speusippus, Heraclides, Chrysippus, Aristoteles, aliique magni nominis Philosophi, qui rationi formandæ & augendæ, plurimum, ceu par erat, impendentes, Logicæ, Rethoricæ, Poeticæ, Musicæ, Geometriæ, Agebræ, Physicæ, Ethicæ, atque Jurisprudentiæ fundamenta jecere. Hoc ex recentibus in suis præsertim logicis lucubrationibus (c) feliciori eventu perfecere Baco, Hobbes, Lokius in Anglia; Gassendus, Cartesius, Malebranchius, Arnaldus in Gallia; in Germania Wol-

(a) Menander.

(b) Homines enim sicut in Medicina cum viderent alia salubria alia insalubria, ex observatione eorum effecerunt artem; ita cum in dicendo, alia utilia, alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum, vitandumque: & quædam secundum rationem eorum adjecerunt ipsi quoque. Hæcque confirmata sunt usu, tum quæ sciebat quisque docebat. *Quintil. Instit. Orat.* lib. 3. cap. 2.

(c) Valerius *Antiates* dictus, omnium primus labores suos *Lucubrationes* nuncupavit. Sic narrat C. Plin. 11. in *epist. ad Vespas.*

Wolfius; in Italia Corsini, de Brixia, de Soria, Genuensis; & sparsim Muschembroekius, Thomasius, Rudigerus, Wiencelius, aliique permulti, quos recensere nimis molestum foret, qui tamen videri possunt apud Walchium (*a*). Hi inquam sola ratione ductricæ innumera retexere experimenta, veritates complures in physicis signatim, & mathematicis, adeo ut scientiæ omnes ad supremum fastigium deventæ jam videantur. Mentem itaque Deo, bonam mentem Philosophiæ, & primo Logicæ debemus.

Rationis demum cultus præ oculis meis fuit, dum hæc Logices Elementa ad usum mei Coetus Juniorum ordinare sum agressus. Optabam, ingenue fateor, aliquod studii mei indicium erga eosdem, quorum profectum in corde & animo semper habui, ostendere; sed cum considerarem, quod omnis voluntas actione perficitur, Logicam, quam nonnullos ex ipsis edocui, typis dare sategi, ut ad alios quoque, completo desiderio, transmitterem. Habes hinc, Amice Lector, sufficientem consilii mei rationem, quam vehementi ardore expetere videbaris.

Ad Operis autem oeconomiam atque specimen quod maxime attinet, paucis rem expediam. Vocabula 1. quæ passim occurrunt, breviter pandit. De homine 2., ejusque intellectu, & objecto quædam scitu necessaria tradit. Logices historiam 3. expromit. De simplici rerum perceptione, ideis, & vocibus 4. fatur. Ad judicia, præjudicia, & propositiones 5. sermonem vertit. Ratiocinii, & argumentationis naturam *6.* aperit. De methodo tandem, ejusque legibus; nec non de Critices regulis, uti videre est in Operis Indice, differit. His accedunt Quæstiones Logicales, in quibus, auscultatis etiam Adversantium rationibus, plures de Philosophorum jure, Syllogisti-ca

(a) Tribus libris Logices historiam complexus est Georgius Walchius, qui extant in ejus Parergis Academicis anno 1721. Lipsiæ cusis.

ca arte, Cartesii dubitatione, & veritatis criterio statuuntur assertiones (a). In ipsis vero componendis Logices institutionibus, quidquid ex Auctoribus tam vetustis, quam recentibus Apes imitans libavi, ita disposui ( modi ratiocinandi immutantur, non rationes ), ut Mathematicos sequens nullo utar vocabulo, nisi accurate definito, nulla utar adsertione, nisi probata. Et quia

*ho volto al subbio*
*Gran parte omai della mia tela breve:*

videamus nunc quid mussitent ii, qui umbratili ac desulsoria e voluminum titulis semihoræ spatio eruditione collecta loricati, de omnibus plenis buccis forum agunt:

Irritum fuit, fantur, in tanta Logicarum farragine novas cudere, præcipue cum Logici omnes in idem collimeht, rationis nempe culturam. Quod cum a Majoribus sit perspectè factitatum, omnia postera inania sunto: Dignum patella ratiocinium! Ecquis non videt, non adeo circumscriptum esse iter, ut una tantum via ad verum detegendum, rationemque excolendam, debeat necessum incedi? Omnes equidem alicujus artis Scriptores ad eamdem metam tendunt, sed non omnes eadem felicitate præintentum finem adipiscuntur. Omnes iisdem pascimur escis, eodem modo non omnes gustamus. Et permisso etiam nil

(a) Etsi enim omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus, eaque est & in ipsis rebus obscuritas, & in judiciis nostris infirmitas, ut non sine causa & doctissimi & antiquissimi invenire se posse, quod cuperent, diffisi sint; tamen nec illi defecerunt, neque nos Studium exquirendi defatigati relinquemus, neque nostræ disputationes quidquam aliud agunt, nisi ut in utramque partem dicendo ( & audiendo ) eliciant, & tamquam exprimant aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quam proximè accedat. *Cicero qq. Acad.* lib. 2. n. 3.

nil aliud præstare Scriptores; quam sparsam veritatem in unum redigere ; simulque alia ex aliis transferre, sunt tamen celebrandi (a). Nihil ergo habet vitii Logica isthæc ? Habet : siquidem

*Homo sum , humani nihil a me alienum puto*. (b)

Si autem ea scire cupis , lege , & judica ; tantum velim ne præventus ad legendum accedas, utpotè

*Malè verum examinat omnis corruptus judex*.

Vos nunc magnæ expectationis Adolescentes Religionis & Fidei levamen adpello : vos Ordinis decus : vos Litterariæ Reip. membra : vos magnis agendis natos ; æmulamini Majorum nostrorum gloriam , qui in sanctitate & doctrina ubique terrarum floruere , quique licet nostris erepti sint oculis, tamen

*Multa viri virtus animo , multusque recursat*
*Gentis honos*.

Eia vires omnes exerite , labori , vigiliisque non parcite; rationem colito , bonamque mentem primo acquirito , utpote nil ipsa optabilius . Eo enim vos vocat Coetus, cui nomen dedisti ; eo patria, parentes, Regnum ; eo tandem ratio ipsa ; qua ornamini , absque cujus equidem, summique datoris Dei contem-
ptu

---

(a) *Heic aptè quadrant quæ sequuntur*. Quod si extitisset aliquis, qui Veritatem sparsam per singulos , per Sectasque diffusam colligeret in unum , ac redigeret in corpus , is profecto non dissentiret a nobis ; sed hoc facere nemo , nisi veri peritus , ac sciens potest. *Lactant*. *Instit*. lib 7. cap. 7.

Id commune omnium fere est artium , aut nova sunt rerum facienda nomina , aut ex aliis transferenda . Quod si Græci faciunt , quanto id magis nobis concedendum est ? *Cicero* 1. *Academ*.

(b) Nullum est Opus , in quo non accusentur homines ; difficile namque est ità quidquam peragere , ut nihi erres : quod si etiam sine errore quidquam aliquis peragit , difficile est , iniquum non recipere Judicem. *Xenophon*.

ptu summis studiis litteras percolere nequitis. Et quoniam insuper

*Absque labore nemo Musarum scandit ad arcem;*
hoc semqer præ oculis ceu firmum solamen habeto: Singularum artium amara semina sunt, fructus vero dulces. Te demum benevole lector quæso, ut ex his

*Quod placet, accipias: quæ sunt ingrata, relinquas.*
*Quæ scis, prætereas: quæ sunt errata, remittas.*

Salve ævumque vive.

Dabam Neapoli Octavo Idus Martii An. *Orbis reparati*

CIↃ. IↃ. CCLXXX.

# INDEX

## CAPITUM.



CA-

CA-

*Adpro-*

*Adprobatio Reviſorum Ordinis.*

Nos infraſcripti examinavimus librum, cui titulus: *Logices Elementa mathematica methodo diſpoſita ad uſum Adoleſcentium Ordinis Minorum*, a Fr. Nicolao Honorati de Craco Lucano ejuſdem Ordinis Philoſophiæ Lectore: in eoque perlegendo nil invenimus caſtigatione dignum, immo potius cuncta laudanda, ſive attendatur optima methodus in tractandis ac exponendis Logices Elementis, ſive in coniugendis rebus ſcholaſticis cum modernioribus, ſive tandem in Controverſiis reſolvendis, atque firmandis. Hæc ſiquidem omnia magno uſui, & utilitati fore arbitramur Adoleſcentibus noſtris, pro quibus Auctor ſcribit. Faxit Deus, ut qui in tenera ferè adhuc ætate hujuſmodi ſcriptionibus in publicum clarere incipit, Studia proſequatur meliora, queis ſeipſum; & Ordinem noſtrum decorare valeat! Quocirca Opus adprobamus, & haud indignum typis mandari poſſe cenſemus, ſi Reverendiſſimo Pr. Paſchali a Variſio totius Ordinis Minorum Miniſtro Generali ità videbitur.

Datum ex hoc Regali Conventu S. Didaci Neapolis Obſervantis Provinciæ Principatus die 24 menſis Septembris Anni 1779.

*Fr. Benedictus de Ralma Lector Generalis.*

*Fr. Gabriel de Cilento Lector Jubilatus.*

Fa-

*FACULTAS ORDINIS*

# FR. PASCHALIS

a Varisio.

*Lector Emeritus, Catholicæ Majestatis in Regali Matritensi Congressu pro Immaculata Virginis Conceptione Theologus, ac totius Ordinis S. P. N. FRANCISCI Minister Generalis, Commissarius, Visitator Apostolicus, & in Domino Servus.*

Cum Opus, cui titulus: *Logices Elementa mathematica methodo disposita &c.* a Fr. Nicolao Honorati de Craco Lucano ejusdem Ordinis Artium Lectore, compositum, a duobus PP. Theologis de Ordine nostro, quibus id commisimus, revisum, & approbatum fuerit, vigore præsentium facultatem eidem concedimus, quatenus servatis servandis, illud typis mandare possit.

Datum Romæ apud Aram-Coeli die 28. Septembris 1779.

Fr. Paschalis a Varisio
Minister Generalis.

Loco ✠ Sigilli.
Reg.

De mandato Reverendissimi in Christo Patris
Fr. Clemens de Florentia
Secret. General. Ordinis.

*Eccellentiſs. e Reverendiſs. Sig.*

Giuſeppe Campo pubblico Stampatore deſidera dare alle ſtampe un' Opera intitolata: *Logices Elementa* del P. F. Niccola Onorati da Craco. Supplica pertanto l' Ecc. V. Reverendiſs. a rimetterne la reviſione a chi meglio ſtimerà, e piacerà; e l'avrà ut Deus &c.

*Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Dominus Pr. D. Joannes Maria de Turre S. Theolog. Profeſs. revideat, & in ſcriptis referat. Die 26. Aprilis* 1780.

J. J. HONORATI EP. TROJ. V. G.

*Joſeph Roſſi Can. Dep.*

Mandatis tuis obtemperans, Excellentiſſime Domine, diligenter evolvi Opus inſcriptum: *Logices Elementa* Fr. Nicolai Honorati de Craco, & in iis nihil inveni quod fidem, aut bonos mores vel minimum lædere poſſit; imò oſmnia, quæ in iis docet, maximè rationi conſona unt, & ſumma perſpicuitate, & clara methodo ubique traduntur, ut maximum emolumentum ſtudioſa Juventus capere poſſit. Quapropter cenſeo, niſi aliter Excellentiæ veſtræ placuerit, ut typis edi poſſint.
Excellentie veſtræ

*Humillimus & Addictiſſimus famulus*
Joannes Maria de Turre.

*Attenta relatione Domini Reviſoris, imprimatur. Die 16. Maij* 1780.

J. J. HONORATI EP. TROJ. V. G.

*Joſeph Roſſi Can. Dep.*
S.R.M.

S. R. M.

Signore.

Giuseppe Campo pubblico Stampatore di questa vostra Real Capitale prostrato a' piedi della M. V. umilmente l'espone, come desidera dare alle stampe un' Opera intitolata: *Logices Elementa* del P. Niccola Onorati da Craco. Supplica pertanto la M. V. a rimettere la revisione a chi meglio stimerà, e piacerà; e l'avrà ut Deus &c.

*Magnificus D. Joseph Vairus Regius Professor revideat autographum enunciati Operis, cui se subscribat, ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium Ordinum, & in scriptis referat. Dat. Neap. die 8. mensis Maij* 1780.

MATTH. JAN. ARCH. CARTH. CAP. MAJ.

*Illustriss. & Reverendiss. Domine.*

Elementa Logicæ a P. F. Nicolao Honorati conscripta nihil mihi accuratè legenti obtulerunt, quod vel Regia jura, vel Civium mores lædere possit. Immo Auctoris ingenium maximè sum admiratus, qui juvenili ætate, selecta ex Veteribus solidiora Logicæ præcepta, optimo connubio cum Recentiorum doctrinis sociavit. Quamobrem studiosæ Juventutis bono edi posse censeo.

Neap. Idibus Maij MDCCLXXX.

Ego Joseph Vairus Professor Regius.

*Die 12. mensis Junii 1780. Neap.*

*Viso Rescripto S. R. M sub die 7. currentis mensis, & anni, ac relatione U. J. D. D. Josephi Vairo, de commissione Reverendi Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Regalis Majestatis.*

*Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Revisoris. Verum non publicetur, nisi per ipsum Revisorem facta iterum revisione affirmetur, quod concordat, servata forma Regalium ordinum, ac etiam in publicatione servetur Regia Pragmatica; Hoc suum.*

SALOMONIUS. PATRITIUS.

Vidit Fiscus R. C.

Illustris Marchio Citus Præf. S. R. C. & cæteri Illustris Aulæ Præfecti tempore subscriptionis impediti.

*Registr.*
*Carulli.*

*Athanasius.*

quæ

Quæ a Typographis nolens ſphalmata accepi, hæc libenti animo amico Lectori comiter emendanda trado.

| *ERRATA* | *CORRIGE.* |
|---|---|
| §. 10. lin 2. præditum | præditus |
| 31. 10. *replevit illis ſcientiam ſpiritus* | *replevit illos, creavit illis ſcientiam ſpiritus* |
| 44. 21. ego | ergo |
| 76. 5. præpoſtera in ordinem | præpoſtere |
| 124. 28. Ludimus | Ludificamur |
| Ibid. 29. ex ſuo | ex quo |
| 155. 14. queit | poteſt |
| 160. 5. amabo | ambo |
| 167. 8. realum | realem |
| 183. 19. attendatur | attendantur |
| 188. 1. *expoſitorum* | *expoſitorium* |
| 189. 12. extremis | in extremis |
| 191. 7. figurare | figuræ |
| 197. 2. ſint | ſit |
| 199. 4. armante | affirmante |
| 201. 16. quod | quæ |
| 209. 9. deeſt: *Ergo amor vanitatum parit damnationem.* | |
| 212. 2. qua uno | qua ex uno |
| Ibid. 18. *quia tibi* | *qui tibia* |
| 238. 10. ſoldtiones | ſolutiones |
| 244. 23. dicit | diſcit |
| Ibid. 33. aut | haud |
| 251. 28. *innititur* | *innituntur* |

266.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 266. | 42. | niſi | ipſi |
| 281. | 4. | utile | inutile |
| 296. | 33. | æquo | æque |
| 298. | 7. | diſcere | diſcernere |

*Reliqua benignus Lector emendabit.*

LO-

# LOGICÆ
## PROLEGOMENA

§. 1.

OMnes Facultates, atque Artes tum mechanicas, cum liberales ab hominibus aliquo semper sub utilitatis, delectationisve aspectu complecti, innegabilis res est penes omnes. Dubium autem omne solum in eo stat, quod a cunctis vera haud semper noscitur Artium, Disciplinarumque præstantia, ex quo ipsarum inde nascitur subsannatio, atque despectus, ceu de non paucis evidentissimè hodie patescit. Hoc præmisso, cum ex præintento fine rem Logicam ordinare adgrediar, de ipsius primo excellentia, atque bono quædam præfari non abs re sensi. Quanti itaque emolumenti, utilitatis quantæ Logicæ studium sit hominibus, ille tantum noscet, qui singulis valedicens præjudiciis, attentè ad suas reflectat operationes, quas, illa haud dirigente, ad falsum multum proclivas adinveniet. Logica, inquam, animi nostri ductrix est, & præmonstratrix ad rerum capessendam veritatem manuducens, ac dirigens: jure hinc merito *Ars omnium Artium maxima*, a Tullio dicitur (*a*), *Disciplina Disciplinarum* a Div. Aug. (*b*), *Scientiæ modus* ab Aristotele (*c*); *Donum* tandem *Deorum* a Socrate (*d*), *quod ab homines per Prometheum una cum*

A quo-

(a) *In Bruto*.
(b) Lib. 3. *de Ordine* cap. 13.
(c) Lib. 2. *Metaph.* cap. 15.
(d) *Apud Plat. in Philebo*.

*quodam lucidissimo igne descenderit; etenim Antiquî, qui nobis meliores, & Diis propiores fuere, hanc nobis famam prodidere.* Quæ cum ita sint, ecquis nisi insipiens, menteque captus Philosophiæ rationalis studium floccifacere, & subsannare audebit? Ad ipsum, igitur, alacri animo, ac tota mente currant Adolescentes, ut suos actus vero semper, uti fas est, conformes eliciant, atque efforment. Breviter hinc enarratis Logicæ laudibus, ad quædam nunc scitu digna prænotanda descendo.

§. 2. Quod in primis Tirones monere operæ precium duco, est ut postquam Logicæ operam navare decreverint, quantacunque eruditione decorati ipsi sint, ad terminos prius, queis frequenter utimur, attendant est opus, ne obscuritate suffusa ipsis postea Logica evadat, atque repleta. Vocabula itaque Logices hujus propria hæc sunt: *Caput*, *Definitio*, *Scholion*, *Divisio*, *Animadversio*, & *Corollarium*, quorum en explanatio.

§. 3. Caput est aggregatum, seu complexus plurium cognitionum explicandarum.

§. 4. Definitio oratio est, id quod in re, vel in nomine obscurum est, explicans, atque exponens.

§. 5. Scholion uberior dicitur præfatæ rei declaratio.

§. 6. Divisio est oratio, quæ rem quamlibet in suas partes, ex quibus componitur, resolvit, atque distribuit.

§. 7. Animadversio nuncupatur, quæ nonnulla attendenda proponit ad quascunque vitandas difficultates.

§. 8. Quidquid necessario ex præmissis cognitionibus deducitur, Corollarium nominatur.

§. 9. Definitio vel est *rei*, sive *realis*, vel *nominis*, sive *nominalis*. Definitio realis dicitur, quæ rem per attributa essentialia declarat. Nominalis vero est, quæ nomen duntaxat rei patefacit. His delibatis, veniat.

CA-

## CAPUT I.

*De Homine, ejusque intelligendi principio, & objecto generatim sumto.*

§. 10.

HOmo definitur communiter *Animal rationale*; h. e. animalitate, & rationalitate præditum.

§. 11. Duobus videlicet attributis essentialibus, qualia sunt animalitas, & rationalitas præditus est homo, per animalitatem convenit cum brutis, animalitate quoque donatis; disconvenit autem ab ipsis per rationalitatem, utpote ratione, qua pollet homo; destituuntur bruta.

§. 12. *Anima* hominis *rationalis*, quæ *Mens humana* dicitur etiam, Principium illud est, quo homo percipit, cogitat, intelligit verum, vult bonum, recordatur, suarumque insuper operationum sibi intimè est conscius.

§. 13. Dicitur nempe *anima*, quia homo per eam vivit, nec non *animus*, quatenus per eum sapit; *rationalis*, seu *rationis particeps*, quia homo nedum rerum caussas, principia, & progressus videt, sed & consequentias respicit. Dicitur tandem quoque *mens*, quatenus vi cogitandi ceteris nobiliore, anima ipsa fulcitur.

§. 14. *Corpus humanum* definitur, quod præter aliarum substantiarum corporearum attributa, & proprietates, tam affabrè dispositum, organizatumque est, ut ab anima rationali informetur, regatur, eique ad agendum inserviat.

§. 15. Mens humana, scire heic confert, suas potentias habet, quæ ad tres potissimum a Philosophis reducuntur, ad *Voluntatem*, nempe *Memoriam*, & *Intellectum*. Voluntas illa est animæ facultas, qua bonum adpetimus, malumque aversamur. Ea autem

mentis vis, quæ independenter ab omni prorsus organorum externorum immutatione, rerum præteritarum notitiam retinet, dumque vult reproducit, Memoria nuncupatur. Illa tandem mentis facultas, quæ res percipit, de ipsis judicat, ratiocinatur, ipsasque disponit, Intellectus dicitur.

§. 16. Quatuor itaque sunt intellectus operationes juxtà Recentiores, *perceptio* nimirum, *judicium*, *ratiocinium*, & *dispositio*, seu *methodus*. Res autem, quas intellectus percipit, de quibus judicat, ratiocinatur, quasque disponit; quæque idcirco ipsius sunt objectum (omne id, circa quod potentia quævis operando versatur, *objectum audit*), illæ omnes sunt, quæ vel actu in hoc Mundo existunt, vel extare possunt, seu possibiles sunt, quæ *naturales* dicuntur; sicuti & *res Divinæ*, prout humanæ intelligentiæ sphæram haud excedunt, h. e. in quantum sunt *naturaliter* cognoscibiles. Humanus insuper intellectus quatenus verum a falso, bonumque a malo discernit, *ratio* nuncupatur: hac homo a brutis distinguitur: meritò hinc definitur, *animi nostri facultas, quæ verum noscere conatur sive per ratiocinationem, sive per simplicem perceptionem*. Sed melius; *est ratio mentis motio id quod per admirationem conspicitur*, connectendi, & secernendi capax. Homo igitur rationis usum tunc consequitur, cum verum a falso, bonum a malo distinguendi est potens.

§. 17. *Veritas* conformitas est intellectualis cognitionis cum externo objecto. *Falsitas* è converso disconvenientia dicitur internæ cognitionis cum re extrinseca. Sive melius; verum est, quod ita est in se, ut esse dicitur; falsum secus, quod non est, ut dicitur esse.

§. 18. Claritas illa, ille splendor, quo irradiatus intellectus humanus rerum veritatem noscit, *Evidentia* nominatur: carentia vero dictæ claritatis, *Inevidentia* audit.

§. 19. Ex conformitate intellectualis cognitionis cum

cum objecto externo, *Scientia* enascitur, quæ notitia vera, ac evidens rerum dicitur, per propriam causam acquisita.

§. 20. Ut scilicet rei alicujus, puta hominis scientiam consequar, opus est 1., ut clarè, ac evidenter ipsius noscam attributa animalitatis, & rationalitatis, queis constat (§. 10.); causam dein, atque rationem, & quidem propriam adsignare debeo, cur potius homo, quam non planta sit dicendus; hæcque erit, quia animalitas, & rationalitas ad hominis, minime ad plantæ naturam spectant.

§. 21. Scientiæ e diametro opponuntur *error*, & *ignorantia*. Error falsa est rerum cognitio. Ignorantia vero, carentia dicitur cognitionis scientiam constituentis.

§. 22. Scientia duplex est, *speculativa*, & *practica* Prior, quæ *theoretica* dicitur etiam, in veritatis tantum inquisitione, meditationeque versatur, & in ea jam cognita planè quiescit. Posterior autem non solum veritatem contemplatur, sed ipsam quoque ad praxim reducit. Colligitur hinc, finem scientiæ speculativæ, rerum esse veritatem; practicæ verò opus.

§. 23. Probè hic advertendum, ne cum rerum *notione* scientiam confundamus. Est namque notio mera rei repræsentatio in mente; scientia secus, ut innuimus (§. 19.), præter rerum in mente repræsentationem, ipsarum notitiam, & quidem per propriam causam importat.

§. 24. Sciendum tandem, quod humanus intellectus ut rerum externarum notiones acquirat, a corporeis pendeat sensibus; qui veluti fenestræ quædam sunt, per quas intellectus ipse objecta externa intuetur, contemplatur, noscit. Sensus duplicis sunt generis, alii *interni*, *externi* alii dicuntur. Primi animam immediatè respiciunt, & illa sunt cerebri dispositio, ad quam omnes externorum sensuum fibræ nerveæ extenduntur, qui experientia teste, ità humorum, quos *spiritus animales* dicunt, turgidi

 sunt

sunt, ut si fiat impressio, aut motus in externa corporis parte, puta in naribus, auribus, manibusve, extemplo excitetur impressio eadem per quamdam communicationem in cerebro; tales sunt *sensus communis*, *imaginatio*, *phantasia*, *æstimativa*, atque *memoria*. Secundi, h. e. externi humanum corpus afficientes, illa dicuntur nervorum, fibrarum, humorumque congeries, quæ in ipsorum structura maximè intuetur; hujusmodi sunt *visus*, *auditus*, *odoratus*, *gustus*, & *tactus*. Hi siquidem internis sensibus objectorum externorum imagines exhibentes, in causa sunt, ut intellectus ipsorum notionem, indeque scientiam adipiscatur: sic ope visus, luminis, atque colorum notionem nanciscimur; ope auditus, notionem soni; ope odoratus, notionem odoris, & foetoris; ope gustus, notionem dulcis, atque amari; ope tactus denique, mollitiei, & duritiei notionem consequimur. His præmissis, sit modo

## CAPUT II.

*Logices definitio, divisio, atque historia traditur.*

INtellectu humano in sui, eiusque objecti quodammodo deducto notitia, Facultatis illius modo, cui operam damus, notionem aliquam tradere, rectus ordo præcipere videtur; quod ut faciliori itinere assequamur, primò quid ipsa sit, quæ ejus partes; ipsius historiam dein enarrabimus.

§. 25. *Logica* juxtà nomen græcum *logos*, quod latinè *sermonem*, & *ratiocinium* significat, definitur scientia, quæ humanum intellectum ad veri assequutionem, falsique detectionem per certas regulas manuducit, ac dirigit.

§. 26. Lumen scilicet præsefert Logica, per quod intellectus ad veritatem ducitur. Hæc namque ante quamcunque rerum cognitionem, ut facilius ad ipsam intellectum manuducat, res ipsas primo in partes di-

ſtribuit, deindè definit, tandem declarat, ſi obſcuræ, diſtinguit, ſi ambiguæ, denegat ſi falſæ. Merito hinc nuncupatur quoque *ars dirigendæ mentis*, *organum*, ſeu *inſtrumentum ſcientiarum*, *ars cogitandi*, nec non & *Dialectica*, ſeu *Diſputatoria*.

§. 27. Apertiſſimè ex modo dictis colligitur, Logicæ objectum, ipſam eſſe intellectualium operationum rectam directionem ad verum aſſequendum, falſumque devitandum; ipſius autem veritatis aſſequutionem, Logices verum finem eſſe.

§. 28. Logica duplex eſt, *naturalis*, & *artificialis*. Prior ipſiſſima eſt hominibus indita a Deo ratiocinandi virtus, qua plerique rudes, nulliſque imbuti præceptis, haud imperitè definiunt, dividunt, ex notis ignota deducunt. Poſterior definita jam eſt §. 25.

§. 29. Heic advertere confert, quod licet homines, dummodo morbo non impediantur logica naturali, ſeu recta ratione ſint prediti, non ideo artificialis eſt temnenda: *ars* ſiquidem *naturam perficit*; & ſicuti quamvis *canendi*, *ſaltandi*, *pulſandique* poteſtate fulciantur homines, abſque *muſica* tamen, *ſaltus*, *ſonique* arte hæc minimè præſtant; ità quoque licet ratiocinandi, & verum adinveniendi virtute gaudeat homo, abſque logica artificiali, perfectè efficere id poſſe, non eſt autumandum: igitur neceſſaria eſt ipſa ad bene ratiocinandum.

§. 30. Logica itaque, ut modo inquiebam, cum rectum intendat intellectus ordinationem ad verum, prono ſequitur alveo, tot muneribus fungi illam debere, quot ſunt ipſæmet intellectuales operationes, quæ cum quatuor communi Recentiorum voto adſignentur (§. 16.); quatuor ſunt etiam officia, ſeu Logicæ partes. Prima pars *ſimplicem perceptionem* expendit, ſimulque regulas tradit, queis intellectus in percipiendo dirigitur. Secunda de *judicio* diſſerit, eaque omnia exhibet, quæ advertenda a nobis ſunt, ne in præjudicia labamur. Tertia *ratiocinationis* naturam, principia, & leges amplectitur. Quarta de-

nique in judiciorum, atque ratiocinationum recta dispositione, h. e. *methodo* tota sistit. De his omnibus post sequentem sigillatim agemus.

*Logices historia*.

§. 31. Logicæ (*) originem coelestem, ac planè divinam esse, simulque vel ab ipso mundanæ machinæ exordio Protoparenti Adæ, immortali, ac supremo munere a Deo O. M. impertitam fuisse, nemo ut opinor, ibit inficias. Apertè siquidem ex innumeris Scripturarum testimoniis docemur, quod *creavit Deus hominem, & secundum imaginem suam fecit illum; creavit ex ipso adjutorium simile sibi; consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi, & disciplina intellectus replevit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum &c.*

(*) Prima Philosophiæ pars est Logica. Definitur autem Philosophia, si græcum vocabulum ex *philos amor*, & *sophia sapientia* compositum interpretari velimus: amor, sive studium sapientiæ; quoad naturam vero est: rerum humanarum, & divinarum lumine naturali noscibilium scientia. Tradita Philosophiæ definitio ità eleganter a Nicolao Grauiti *Phil. Lib.* cant. 1. oct. 6. exponitur:

Delle Divine, e delle umane cose
Sola è *Filosofia* la indagatrice,
*Scienza* frà le altre *Scienze* più fastose
Che tien lo scettro in man da Imperadrice:
I *sensi* ha per *valletti*, e le più ascose
Proprietà di *Natura* insegna, e allice
Colla *ragione* a dicifrar pian piano,
Ond'ella ha un *Nonsocchè* di Sovraumano.

In quatuor partes Philosophia dividitur, in *Logicam* nempe, *Metaphysicam*, *Physicam*, & *Ethicam*, sive *Moralem*.

*&c.* (e). Licet autem Adam ob violatam Dei legem orbatus aliquo pacto fuerit habitis per infusionem cognitionibus, remansit tamen in ipso principium quoddam res noscendi, verum a falso secernendi, unum ex altero inferendi. Idipsum quoque autumare fas est de primis Mundi hominibus, cum incredibile sit, quod dum inter se de rebus divinis, atque humanis loquerentur, errores plurimos non observaverint, observatos emendaverint, simulque praecepta haud adhibuerint, quibus unum ex altero inferri ritè posset, & quorum ope utiles ab inutilibus mentis cogitationibus sejungerent. Patet id ex antiquissimis Hebraeorum Rabinis, qui suorum Adolescentium eruditionem in solis Dialecticae regulis, atque in aenigmatum, & parabolarum solvendis fallaciis sitam volebant: opinabantur namque ipsorum animos sic disponi *ad sciendam sapientiam, & disciplinam, ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia, & intellectus: ut animadvertat parabolam, & interpretationem, verba Sapientum, & aenigmata eorum* (f): *occulta proverbiorum exquirat, & in versutias parabolarum intreeat* (g); *sciat versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum* (h).

§. 32. Manifestè insuper idipsum ex antiquissima Jobi historia colligitur, in qua permulti inter se differentes inducuntur, atque ita ex logicis regulis discurrere, objecta solvere videntur, ut certè oportuerit, perfectè facultatis hujus praxim penes Arabes, aliasque veteras Nationes floruisse.

§. 33. Inter omnes vero populos, apud quos Logicam viguisse diximus, primus omnium, qui in artem illam reduxit, ejusque praecepta scriptis suis tradidit,

---

(e) *Eccli.* cap. 17.
(f) *Proverb.* cap. 1.
(g) *Eccli.* cap. 39. v. 2.
(h) *Sapient.* cap. 8. v. 8.

didit, fertur *Zeno Eleates* (*i*). Is cum Athenas venisset, suumque librum præceptis logicalibus refertum Socrati legendum dedisset, ita ipsi accepta fuere, ut præcepta eadem Socrates ipse adhibuerit. Quod autem in ejus Logica deprehenditur, ars est contendendi, seu disputandi; sicuti & regulæ quædam ratiocinia formandi.

§. 34. Zenoni successit Socrates, qui illius logicales, ut modo innuimus, adhibens institutiones, quoad aliqua Logicam ipsam auxit, præcipuè vero methodum quamdam peculiarem disputandi induxit, quæ *Erotematica* audit, quatenus ex interrogationibus, & responsis inter binos perficitur, quorum unus Interrogans, seu discipulus, alter Respondens, sive Magister nominatur. Socratica hæc methodus vetustissima est: hanc plures Veteres Patres vel ad Judæos refutandos, vel ad Christianos instruendos suis in operibus sunt amplexati; sicuti & alii complures antiquis temporibus præstitere post Socratem.

§. 35. Perdoctè de re logica Plato egit; nam 1. rerum definitiones, & divisiones ritè instituit; opportunè 2. dubitandum esse docuit; methodum 3. analyticam induxit, qua nihil optari potest efficacius ad veri inquisitionem; modum tandem tradidit ad trutinam argumenta revocandi. Quæ omnia dignum ipsum reddidere, ut a plerisque pro Logicæ inventore haberetur (*k*). Zenonis, Socratis, Divinique Platonis in Logica perficienda gloriam æmulati sunt Euclides Megarensis, Speusippus, Heraclides, Carneades, Zeno Stoicus, aliique, speciatim verò Chrysippus Zenonis auditor, qui teste Laertio (*l*), *adeò in Dialectica insignis fuit, tantaque apud omnes æstimationis, ut plerique dicerent, si apud Deos usus esset Dialectica, non futuram aliam, quam Chrysippeam*.

§. 36.

(i) *Ex Plat. apud Laert.*

(k) Laert. 3. seg. 56.

(l) *In vita Chrysippi*.

§. 36. Logicam insuper plurimum auxit, omniumque diligentiam longissime superavit Magnus Aristoteles, qui adeo copiosè, & eleganter hanc Philosophiæ partem tractavit, ut jure merito Logicæ inventor, de quo ipse gloriari consueverat (*m*), a compluribus diceretur (*n*). Is itaque universam Logicam septendecim complexus est libris. Primus *Categoriarum* dictus, ea omnia complectitur, quæ ad perceptionem attinent. Duo qui sequuntur, *Perihermenias*, h. e. *de interpretatione* dicti, judicii naturam exponunt. His succedunt quatuor, duo quorum *Analyticorum Priorum*, & duo alii *Analyticorum Posteriorum* vocitantur, in primis de Syllogismo generatim sumto; in secundis de Syllogismo demonstrativo tractat. Occurrunt dein octo *Topicorum*, qui media continent in quovis re argumentandi, quorum præcipuè tantum est emolumentum, præstantiaque tanta, ut ab humano ingenio nil potuerit excogitari melius. Veniunt ultimò *Elenchorum* libri duo, de sophistarum fallaciis, vitiis, & methodo differentes.

§. 37. Expositam Aristotelis Logicam sequuti fuere permulti, & quidem eo fervore, ut in ejus verba jurare non sint veriti: ast sæculo 15. labente, Laurentius Valla Romanus, Rodulphus Agricola Germanus, Ludovicus Vives, nec non Marius Bruxellensis, aliique sæculi ejusdem Scriptores adversus eam ætatis barbariem clamare coeperunt, simulque meliora, quam majores litteris tradere. Laudati inquam Viri docti studiis ex animo dediti, Logicalia veterum præcepta trutinantes, quasdam eorum ineptias scriptis suis damnarunt, simulque vitandum servitutis philosophicæ jugum excutiendo, posteris ad meliora excogitanda iter aperuere. Sæculo itaque 16. adveniente, vir quidam Gallus, Petrus Ramus dictus, Logicam plurimum illustravit; omniaque Aristotelis futilia opinamenta in unum

(m) *Elenchor.* lib. 2.

(n) Averroes *Praem. Physic.*

unum collegit corpus, quod *Aristotelicas Animadversiones* nuncupavit. Hoc ad Parisinam delato Universitatem, infelicem Ramum odio est prosequuta, donec invidia multorum, qui in Aristotelis verba juraverant, occisus, ejus corpus laceris involutum pannis in flumen Sequanam demersere (o). Quod autem de re logica doctè tradidit Ramus, locus est argumenta adinveniendi, eaque recta methodo prosequendi. Ramo sæculi 17. initio successit Franciscus Baco Anglus, Vicecomes S. Albani, & Baro de Verulamio, qui nisi suam Logicam, quam *Novi Organi* nomine decoratam an. 1620. edidit, inusitatis obscurasset vocabulis, magni precii foret; hoc tamen haud obstante non defuere Viri docti, qui rectè illam interpretantes, non pauca idcircò ab ejus fonte hausere.

§. 38. Eodem tempore de re logica non obscurè scripsit pariter Petrus Gassendus Gallus, patria Diniensis, ejusque Ecclesiæ Præpositus, qui de simplici rerum perceptione, propositionibus, syllogismo, methodo, deque veritatis tessera, h. e. criterio diligenter tractavit.

§. 39. Renatus Cartesius Hagæ Turonum in Gallia natus an. 1596. post Gassendum de methodo rectè utendi ratione, & veritatem in scientiis investigandi logicalem libellum edidit; plura quoque de arte philosophandi, dubitandi, libertate philosophica, nec non & de Critica scripsit.

§. 40. Cartesii Logicam sequuti sunt complures, signatim verò Auctor artis cogitandi, & Malebranchius. Artis cogitandi Auctorem, Antonium Arnaldum fuisse, plurium Auctorum opinio est. Logica hæc edita fuit 1. sermone gallico sub inscriptione: *la Logique, ou l'art de penser*; dein latino, & italico. Est autem Logica isthæc accuratissima, deque multis rebus, & quidem ad mentem sanam formandam ducentibus, peragit: sic de perceptionibus, & ideis

(o) Sic narrat Thuanus: *hist. ad ann.* 1572.

ideis 1. differit; de judicio, & propositionibus 2. tractat; ad ratiocinia, & syllogismos, nec non & ad methodum postremò sermonem vertit. Nicolaus Malebranchius, Sacerdos Oratorii Gallicani, de rebus logicis eodem 17. labente sæculo, anno nimirum 1673. librum *de la recherche de la verité* typis dedit, in quo de errorum causis, de methodo tum analytica, cum synthetica; nec non de Critices regulis abundè, solideque affatur.

§. 41. De Joanne Lockio è celeberrimis Angliæ Philosophis tempus est modo, ut aliqua dicamus. Is itaque libero judicio de rebus logicis, & metaphysicis peragens, limata castigatione libros quatuor edidit, qui versi sunt ex Anglo latinè, & gallicè sub titulo: *de intellectu humano.* In his plures conclusiones logicas de ideis præcipuè innatis, earumque objectis statuit; de vocabulorum proprietatibus, sicuti & de Critica Arte perdoctè quoque disseruit. Sub Lockii disciplina non parum profecit Joannes Clerchius, qui alia inter logicalia præcepta scitè ab ipso typis data, quædam ad judicia spectantia abundanter tradidit. Cui insuper calculum suum addidit Doctissimus Mariotte Gallus, in physicis signatim apprimè versatus, qui de modo, quo principia adinveniri debent in aliqua determinanda veritate; sicuti & de modo rectè argumentationes formandi, accuratè opus suum exaravit. His omnibus

§. 42. Recentioribus, qui facultatem hanc illustrarunt, jungi debent Christianus Thomasius, Andreas Rudigerus, & Christianus Wolfius. Thomasius an. 1688. edidit Lipsiæ *Introductionem ad Philosophiam Aulicam*, quæ plura continet Capita, præsertim de Philosophorum sectis, de prudentia cogitandi, judicandi, ratiocinandi, aliorum mentem intelligendi, aliaque hujusmodi. Rudigerus currentis sæculi initio, h. e. an. 1707. *Philosophiam Syntheticam* typis mandavit, in qua plurium Logicorum vitia, ac errores observat, notat, emendat.

§. 43.

§. 43. Incomparabilis tandem Philosophus ille Germanus Wolfius, vir in mathematicis præcipue, & metaphysicis notitiis versatissimus, Logicam tom. uno 4. Halæ Magdeburgicæ edidit, in qua 1. methodus mathematica cogitationes suas nectens, elucet; vocabulorum 2. accuratæ definitiones nitent; plurimæ 3. veritates, sicut & directæ rerum demonstrationes deprehenduntur. Quibus, singulisque omnibus

§. 44. Postremò se junxere nonnulli quoque è nostris tempestatibus, qui Logicam illustrare, augere, recteque disponere sunt conati; quique num præintentum finem sint assequuti, judex est Litteraria Resp.; hi sunt viri cæteroqui eruditi P. Eduardus Corsini, Clericus Regularis Scholarum Piarum; P. Fortunatus Brixiensis è Franciscanorum Familia; Janus Gualbertus de Soria, Pisanæ Academiæ Philosophus; Antonius Genuensis, Neapolitana in Academia Ethicæ Professor; Aloysius Antonius Vernejus, Archidiaconus Eborensis, aliique per multi, quos brevitatis ergo omitto: hi, inquam, sunt nunc, fortuna licet impari, in populorum acclamatione, ac patrocinio. Omnium tam Veterum, quam Recentiorum Logicarum testem Litterariam advocavi Remp.; nonne siquidem imprudentiæ, & ostentationis reprehenderer meritò, si nonnullorum vestigia premens, àrbiter, ac judex inter tot Auctorum scripta sedere fuissem ausus? Utique: noscant igitur alteri bonum, vel malum, defectus, vel virtutes Scriptorum; sicque rectum de ipsis judicium ferant, intereaque temporis ego Logices historiæ finem imponens, ad utiliora progredior.

# LOGICES

## PARS PRIMA.

## De Simplici rerum Perceptione.

**Prima humanæ mentis operatio, ſimplex eſt rerum, ut diximus §. 16. 30. perceptio: ab hac itaque exordium ſumentes, prodeat.**

### CAPUT I.

*De ſimplicis Perceptionis natura, & varietate.*

§. 45.

Simplex perceptio, quæ & *apprehenſio* a Scholis dicitur, nuda eſt rerum contemplatio, expers omnis affirmationis, aut negationis.

§. 46. Aſpicit nempe, intuetur mens mea per oculos objectum aliquod, puta Elephantem; non aſſerit ipſum animal eſſe maximum, proximumque humano ſenſui, ſed in ſola ejus ſtat intuitione, Elephantis ſimplicem conſequitur perceptionem. Idque de aliis dicatur objectis.

§. 47. Simplex perceptio, ſciendum modo, varia obtinet nomina, pro objectorum, circum quæ occupatur, diverſitate: ſic ſi objecta, quæ a mente percipiuntur ſunt ſpiritualia, ut *anima*, *Angeli*, *Deus*, talis perceptio *intellectio* dicitur, quia per intellectum tantum, independenter a corporeo phantaſmate habetur; ſi vero corporea, ac materialia, ut *homo*, *arbor*, *luna*, *ſol* &c. vocatur *ſenſatio*, quatenus ſub ſenſus cadunt. Quando mens ſpiritualia objecta ſub corporeitatis forma contemplatur, Angelum nempe ſub figura pueri, apprehenſio illa, *imaginatio* audit: cum ver-

versatur circa res olim a mente perceptas, *recordatio*, seu *reminiscentia* nominatur; si tandem objectum aliquod humana mens sub unico tantum percipit attributo, vel proprietate, tabulam scilicet sub sola extensione, tunc *abstractionis* nomine talis perceptio prædita incedit.

§. 48. Quælibet humanæ mentis perceptio, sciendum ulterius, ideam semper supponit, & sine ista haberi illa nequit: de ideis itaque sermonem modo instituere nobis exhibetur occasio, de quibus præfari incipiamus, mentem nostram aperire non abs re putavimus, nos scilicet nullam velle in præsentia de idearum natura, & origine instituere controversiam, cum id ad metaphysicas spectet quæstiones, quæ moveri a nobis modo non debent, logicalia præcepta solum tradere statuentibus; sit idcirco

## CAPUT. II.

### *De Ideis, earumque diversitate.*

§. 49.

IDea imago illa objectorum dicitur, in qua mens humana objecta ipsa intuetur, aspicit, noscit.

§. 50. Mens scilicet humana dum objectum aliquod, puta Paulum vel præsentem, vel absentem, vel possibilem, vel actu extantem percipit, illa Pauli imago, quæ menti percipienti obversatur, & in qua a mente Paulus conspicitur, nosciturque, idea vocatur; Paulus autem, cujus illa est idea, talis ideæ objectum nuncupatur.

§. 51. Probe heic advertendum, ne idea, de qua loquuti nunc sumus, cum ea corporea imagine in cerebro depicta confundatur, ad quam mens se vertit, dum corporeum aliquod absens objectum, tanquam præsens, contemplatur. Imago namque isthæc plurimum ab ipsa rei idea differt; illa utpote in cerebro picta,

picta, & in ipso veluti in subjecto extans, corporea omnino est, ac materialis; hæc autem tota spiritualis, quatenus mera affectio mentis: illam ergo *ideam materialem*, vel *speciem impressam* cum Scholasticis meritò nuncupamus; hanc vero *intellectualem*, aut *speciem expressam* cum iisdem dicimus.

§. 52. ἰδω græcè, latinè idem est ac *specio*, seu melius *video* (*); hinc idea *species* quoque, *forma*, *simulacrum*, *verbum mentis* solet nuncupari. Ideæ vocabulum omnium primus Plato adhibuisse videtur. Is namque ideam exemplar illud dixit in mente positum, quod continuò intuetur Artifex, dum aliquid extrà molitur.

§. 53. Omnis idearum diversitas quintuplici potissimum ex respectu desumitur: 1. respectu originis earumdem, 2. respectu propriæ essentiæ, 3. mentis percipientis, 4. objectorum, quæ repræsentant, 5. demum respectu comparationis earumdem ad invicem.

§. 54. Idea quoad originem spectata est *adventitia*, *factitia*, & *innata*. Idea adventitia audit, quæ sensuum ministerio acquiritur; talis idea *colorum*, *saporum*, aliarumque rerum sensibilium. Factitia est, quam ex adventitiis ideis vel componendo, vel sejungendo mens sibi format, ut idea *montis plumbei*, ex adventitiis ideis montis, & plumbi composita. Innata, illa a suis Fautoribus dicitur, quæ in nobis sine opera nostra reperitur, quæque a Deo eo temporis momento humanis imprimitur mentibus, quo ipsas creat, organizatoque corpori jungit; ità est per ipsos *idea Dei*, *primorum principiorum* &c., quas innatas in nobis statuendas esse propugnant.

§. 55. Idea respectu propriæ essentiæ dicitur *intelligibilis*, vel *phantastica*, *simplex*, vel *composita*. Intelligibilis idea nuncupatur, quæ objectum nec corporeum, nec ad instar corporis menti exhibet, ut idea



(*) Veteres Latini verbum *specio* pro *video* adhibebant, quod apud Recentiores obsoletum est.

idea *vitii*, *virtutis*, *meriti*, *demeriti*. Phantastica dicitur, quam mens suo pro lubitu sibi format; talis idea *maris lactei*, *hominis lignei*; quæque *chimarica*, nec non *factitia* (§. præc.) nominatur. Simplex est idea illa, quæ in plures notiones resolvi nequit; sic idea *veri*, *falsi*, *essentiæ*, *existentiæ*. Composita demum, seu *complexa* vocitatur idea illa, quæ plures distinctas notiones continet; talis idea *arboris*, quæ ramorum, frondium, fructuum notionem præsefert.

§. 56. Ratione mentis percipientis dividitur idea in *claram*, *obscuram*, *distinctam*, & *confusam*. Idea clara vivida est, ac evidens objecti alicujus menti facta repræsentatio. Obscura vero dicitur, quæ dicta spoliatur claritate, ac evidentia. Sic ex. gr. video Paulum, ipsum intueor, & discedo; si cum iterum mihi obversatur, ipsum recognosco, clara fuit prima Pauli idea; obscura autem si secus. Idea distincta nuncupatur, quæ clare, vivideque non solum objectum, sed ejus quoque proprietates differentiales menti patefacit. Confusa e converso dictas proprietates haud menti exhibet. Colligito hinc, ideam distinctam, claram quoque esse, ast non secus idea clara distincta est.

§. 57. Idea respectu objectorum, quæ repræsentat, est *realis*, vel *non realis*, *adæquata*, vel *inadæquata*, *absoluta*, vel *relativa*. Realis idea dicitur, quæ objectum positivum, ac existens menti exhibet; quæ verò objectum non existens, ac negativum præsefert, non realis idea audit. Idea adæquata est, quæ omnes monstrat menti objecti notas, proprietates, partes, ut idea *circuli*, *quadrati*, aliarumque rerum geometricarum. Quæ autem aliquid solum rei menti exhibet, inadæquata nuncupatur. Idea adæquata convenit cum distincta §. præc. Absoluta vocitatur idea, quæ nullam cum aliis relationem dicit; quæ vero talem importat relationem, relativa cognominatur; talis idea *creaturæ respectu Creatoris*, *filii respectu Patris*.

§. 58. Ratione demum comparationis inter se ideæ con-

consideratæ, aliæ dicuntur *pertinentes*, *identificæ* aliæ, aliæ *disparatæ*, & aliæ *oppositæ*. Pertinentes sunt ideæ illæ, quæ talem inter se connexionem important, ut admissa una, altera ponatur, necesse est; talis idea *hominis*, in qua *rationalitatis*, & *animalitatis* ideæ sic connexæ sunt, ut posita una; altera admittatur etiam, necesse est. Ideæ identificæ nuncupantur, quarum una necessario involvit alteram, ut idea *mentis*, *animæ*. E contra intelligendæ sunt ideæ disparatæ, quatenus una, alteram non importat: hujusmodi sunt ideæ *doctrinæ*, *sanctitatis*, *prudentiæ*; non enim doctrinæ idea, sanctitatis ideam includit, cum dentur homines docti, moribus tamen, operationibusque perversi. Oppositæ tandem ideæ illæ audiunt, quæ eidem rei non eodem tempore conveniunt, & triplicis sunt generis, aliæ nempe dicuntur oppositæ *contrarie*, *privative* aliæ, & aliæ *relative*. Priores sunt, quæ simul componi nequeunt, ut ideæ *bonitatis*, & *malitiæ*, *frigoris*, & *caloris*. Posteriores, quæ inter attributum aliquod, ejusque privationem versantur, ut ideæ *visionis*, & *cæcitatis*, *lucis*, & *tenebrarum*. Ultimæ tandem sunt, quæ per relationem, quam important, opponuntur; sic idea *filii* relative opponitur ideæ *Patris*; sicque de reliquis cogitandum.

## C A P U T III.

### *Signa, voces, & termini Idearum explicantur.*

TAli, ac tanta idearum expositarum varietate mens humana foecunda, gravem susciperet curam, ni quod intellectu percepit, promere vocibus posset: tanta namque est idearum nostrarum cum signis, vocibusque cognatio, ut etiam aliquid taciti cogitando, ipsis cum vocibus objecta menti offeramus. Est autem.

§. 59. Signum id quod respicitur, ut aliud repræsentans objectum. Signum videlicet binas ideas uni-

versim includit, & sui ipsius, & illius rei, cujus est signum; hujusmodi sunt omnes *chartæ*, & *tabulæ pictæ*, quæ præter ipsarum ideam, alterius rei quoque, cujus signa sunt, ideam important. Et quoniam quælibet res non semper eodem modo, sed diversimodè aliquid patefacit, varia idcirco assignantur genera signorum:

§. 60. Alia nempe sunt, *certa*, *incerta*, & alia *probabilia*. Signa certa dicuntur, quando rem, cujus sunt signa indubiè, certoque monstrant, sic *actio* respectu *vitæ*; dum enim homo agit, indubitanter vivit. Incerta secus nominantur, quæ fallunt aliquando, talis hedera parieti nupta, quæ Bacchi venumdationem non semper aperit. Signa probabilia demum sunt, quæ rarò illudunt, ut *serotina rubedo* respectu *matutinæ tranquillitatis*: raro siquidem contingit, ut dum rubrum in sero est, mane tranquillitas desideretur.

§. 61. Signum ulterius vel est *naturale*, vel *ad placitum*. Primum est, quod suapte natura rem aliquam significat; ut *fumus* respectu *ignis*. Secundum contra dicitur, quod non ex propria natura, sed ex hominum arbitrio determinatam rem indigitat; ita est sacri æris pulsatio ad hominis alicujus monstrandum interitum.

§. 62. Dividitur postremo signum in *demonstrativum*, quod objectum præsens, *rememorativum*, quod transactum, & *prognosticum*, quod futurum objectum exprimit.

§. 63. Internas ideas nostras foris manifestare dum volumus, ad voces tanquam ad ipsarum signa confugimus: his namque mediantibus internos mentis nostræ conceptus aliis revelamus. Est autem *vox* juxta Aristotelem (p): *sonus ex ore animalis prodiens, & per appulsionem aeris è pulmonibus in fauces incurrentis, & allisi formatus*. Vox duplex est, *articulata*,

(p) Lib. 2. *de Anima* cap. 8.

*ta*, & *inarticulata*. Prior dicitur, quæ ſyllabis, atque articulis diſtinguitur, talis vox *homo*, *leo*, *tigris*. Poſterior ſecus, ſyllabis orbata, in quibuſdam confuſis ſonis ſtat, ut *amantium ſuſpiria*, *afflictorum gemitus*, *canum latratus*, *leonumque rugitus*.

§. 64. Ex modo dictis luce meridiana patefcit, voces inarticulatas proprias hominum eſſe, atque belluarum; articulatas vero ad ſolos homines, minimè ad bruta, quidquid in converſum vendidit Apollonius Thyaneus, pertinere: *hoc* enim *uno*, ad rem Tullius (q), *præſtamus vel maximè feris*, *quod colloquimur inter nos*, *& quod exprimere dicendo ſenſa poſſumus*.

§. 65. Voces articulatæ ſolent etiam *termini* nuncupari, quia ideas noſtras dum aliis manifeſtare volumus ad ipſas voces terminamus: unde merito heic termini definiti poſſunt articulatæ quædam voces, mentis ideas, quas exprimunt, terminantes.

§. 66. Termini vocales alii dicuntur à Logicis *Categorematici*, & *Syncategorematici* alii. Primi per ſe ſumpti ideam aliquam denotant, ut *aquila*, *corvus*. Secundi è contrariò niſi cum categorematicis uniuntur, nil ex ſe indicant, ut *nullus*, *aliquis*, *quidam*.

§. 67. Terminus Categorematicus dividitur in *univocum*, *æquivocum*, & *analogum*. Univocus eſt, qui ſecundum idem nomen, eamdemque naturam pluribus adſcribitur, ſic *bellua* univocè adſeritur de *cane*, *vulpe*, *lepore*. Aequivocus, qui ſecundum idem nomen, diverſam tamen naturam pluribus tribuitur, ut vox *bos*, quæ bovi marino, ac terreſtri adjudicatur. Analogus tandem nuncupatur, qui propter quamdam convenientiam pluribus adſcribitur, talis vox *ſanitas*, quæ homini benè valenti, & medicinæ talem valetudinem adprobanti tribuitur.

§. 68. Terminorum definitionibus, & diviſionibus libatis, ipſorum modò præcipuas proprietates tradere,

 operæ

(q) Lib. 2. *de Oratore* cap. 8.

operæ precium ducimus, ut facilius earumdem usus, & abusus in orationibus, in quibus adhiberi assolent, nosci queat; hujusmodi sunt quinque sequentes: *Suppositio*, *Ampliatio*, *Restrictio*, *Alienatio*, & *Appellatio*.

§. 69. Suppositio est usurpatio termini pro re significata, ut *Paulus est homo*, ly *Paulus* pro Paulo per illum terminum indicato supponitur. Suppositio duplex est, *materialis*, & *formalis*. Prior habetur, cum terminus pro seipso, non pro re, per illum significata, accipitur, ut *homo est vox*, ly *homo* materialiter supponitur, quia pro ipso nomine, non autem pro re indicata sumitur. Posterior dicitur, cum vice versa terminus pro re, per illum significata, usurpatur, ut *bellua est animal*; dicti termini, ut patet, formaliter supponuntur, cum non pro ipsis vocibus, sed pro rebus per illas indicatis, accipiantur.

§. 70. Suppositio formalis est vel *propria*, vel *impropria*. Propria est, quando terminus pro suo proprio significato usurpatur, ut *Bos mugit*. Impropria autem, cum terminus metaphoricè, & impropriè accipitur; sic dicitur Christus *petra angularis*, *leo de tribu Juda*, *radix David*.

§. 71. Dividitur tandem suppositio in *distributivam*, *copulatam*, *confusam*, & *determinatam*. Distributiva est, cum terminus universalis pro suis omnibus significatis ponitur; ut dum dicitur; *omnis homo est mortalis*, tò *homo* de Petro, Paulo, Francisco, &c. debet intelligi. Copulata dicitur, quæ terminos importat, in quibus plura conjunctim sumta, indicantur, ut cùm dicitur: *omnes Evangelistæ sunt quatuor*, ly *Evangelistæ* conjunctim sumitur, pro monstrandis Matthæo, Marco, Luca, & Joanne. Confusa audit, quando terminus pro aliqua re indeterminata significanda accipitur, ut cum adferitur: *aliqua arbor necessaria est ad fructus producendos*, arbor non determinatur, sed confuse sumitur. Determinata tandem est, quæ objectum aliquod certum, ac determinatum respicit; ut *Christophorus Columbus novi Orbis repertor fuit*.

§. 72.

§. 72. Secunda terminorum proprietas, Ampliatio dicitur, estque termini alicujus usurpatio pro omni tempore indigitando; sic cum dicitur: *Justi in perpetuum vivent*, non solum de futuris, sed de transactis, ac præsentibus quoque intelligitur.

§. 73. Tertia Restrictio audit, & est termini coarctatio ad pauca indicanda, ut si dicas: *mulier sapiens fortiter operatur*, tò *mulier* in tota amplitudine minime sumitur, sed ad solas Sapientes restringitur.

§. 74. Quarta Alienatio nuncupatur, & est cum a propria termini significatione, ad impropriam transfertur, ut *arbores flent*, *prata rident*.

§. 75. Ultima terminorum proprietas Appellatio vocitatur, & habetur, cùm terminus aliquis alteri connectitur, ut *vulpes est callida*: tò *callida* vulpi tribuitur, ut ejus designetur fraus. His expensis, prodeat

## CAPUT IV.

### *De decem Aristotelis Categoriis, seu Prædicamentis*

§. 76.

MAgnus ille Stagyrita Philosophus rerum creatarum expositas voces, traditosque terminos præpostere in ordinem redactos intuens, Categoriarum librum componens, Entia omnia creata in nativam seriem ità disposuit, ut mens rem quamlibet non confusè, sed distinctè percipere posset (*). Est autem Categoria idem græce, ac latine *accusatio*, seu melius *prædicamentum*; Categoriæ igitur, Prædica-



(*) Non desunt, qui Categoriarum Auctorem, Archytam Tarentinum fuisse proclament, ut Jamblicus, aliique, quod Scholastici omnes abnuunt; simulque tùm ex doctrinæ subtilitate, cùm ex phrasium obscuritate, librorum Aristotelis propriarum, ipsius vere esse partus monstrant.

camenta quoque dici possunt, quatenus prædicari, h.e. affirmari de Entibus queunt. Circa Categoriarum numerum non convenere inter se Veteres Philosophi. Platonem namque unicam admisisse Categoriam, & unicum supremum genus, *Ens* nimirum *reale*, traditur. Xenocrates, teste Simplicio, Entia omnia ad duo suprema genera, *Substantiam* nempe, & *Accidens* reduxit. Pythagorici viginti admittebant, decem bonorum, & malorum decem. Bonæ Categoriæ ipsis erant sequentes:

*Impar, finitum, dextrum, masculum, atque quietum.*
*Rectum, quadratum, intellectus, lumen, & unum.*

Malæ verò:

*Impar finitum, finistrum, foemina, motus.*
*Obliquum, altera parte longius, opinio, tenebræ, multitudo.*

Quatuor statuerunt Stoici, *substantiam nempe, qualitatem, quantitatem*, & *actionem*. Aristoteles tandem decem sequentes statuit.

§. 77. Categoria quædam est naturalis attributorum series, quæ de singulari substantia quæri, affirmarique potest.

§. 78. Decem itaque per Scholasticos de quavis re quæri, & prædicari queunt: sic de Petro quæri potest, 1 quid sit, 2 quantus sit, 3 qualis, 4 cujus sit, 5 quid agat, 6 quid patiatur, 7 ubi sit, 8 quando sit, 9 quo in situ, 10 tandem qualiter indutus; quæ omnia prædicamenta hocce includuntur disticho:

*Arbor, Sex, Servos, Ardore, Refrigerat, Ustos;*
*Ruri, Cras, Stabo*, nec *Tunicatus* ero.

Arbor *substantiam* indicat, Sex *quantitatem*, Servos *relationem*, Ardere *qualitatem*, Refrigerat *actionem*, Ustos *passionem*, Ruri *ubi*, seu *locum*, Cras *quando*, sive *tempus*, Stabo *situm*, Tunicatus demum vestem designat: decem igitur sunt Aristotelis Categoriæ, h. e. Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio, Ubi, Quando, Situs, & Habitus.

*De Substantia.*

§. 79. Substantia est Ens, quod existit per se, nec alio eget, uti Accidens ad standum, ut *arbor*, *bellua*, *homo*, quæ habent *quid* in se ( acceptum jam a Deo ), unde aliis substantiis non indigent, ut existant.

§. 80. Substantia duplex est, *creata*, & *increata*. Prior dicitur, quæ principium habuit, ut *homo*, *aliæque creaturæ*. Posterior secus nullum recognoscit exordium: talis est solus Deus Coeli, & Terræ Creator Sapientissimus.

§. 81. Quælibet creata substantia tres sequentes admittit notas:

1. *Non habere contrarium*. Quævis nempe substantia, prout talis, alteri substantiæ non est contraria; potest tamen una substantia alteri dici contraria respectu qualitatum, queis afficitur: sic *ignis* prout est ens per se existens non adversatur aquæ in per se existendo; non enim magis per se existit aqua, quam ignis; sed prout ignis datis afficitur qualitatibus, *caloris*, nempe, & *siccitatis*, & aqua *frigoris*, & *humiditatis*, ad invicem contrariantur, opponuntur, destruuntur.

2. *Esse contrariorum susceptivam*. H. e. substantia recipere debet in se proprietates illas, & affectiones, quæ sese mutuo expellunt: sic homo modo est justus, modo peccator, nunc sanus, nunc infirmus.

3. *Non suscipere magis*, & *minus*. Una enim arbor, non est magis arbor altera qualibet, licet si penes ubertatem spectentur, una altera perfectior reipsa sit, possitque esse.

*De Quantitate.*

§. 82. Quantitas est extensio in partes: sic hæc tabula dicitur *quanta*, quia partes extra partes possidet.

§. 83. Quantitas triplex est, *perfectionis*, *virtutis*, & *molis*. Prima cujuslibet naturæ vel finitæ, vel infinitæ perfectionem indigitat; hoc sensu dicitur de Deo quod sit *justus*, *sanctus*; de homine quoque, quod

quod timeat Deum, charitatem cum proximo exerceat, &c. Secunda potentiæ alicujus operantis majorem, minoremve vim indicat, ut cum dicimus: Regis potentiam in subditos, vim illam superare, qua in eosdem Principes Civitatum sunt fulciti. Tertia materiæ cujuslibet magnitudinem importat; estque duplex, *continua*, & *discreta*. Illa partes omnes unitas possidet, ut *tabula*, *paries*, *linea*; ista secus partibus sejunctis constat, ut *litteræ alphabeticæ*, & *numeri vulgares*. Quantitas continua

§. 84. Dividitur in *successivam*, & *permanentem*. Prior est, cujus una pars succedit alteri, ut *motus*, *tempus*. Posterior e contrario omnes partes simul extantes habet, ut *linea*, *superficies*, *corpus*.

§. 85. Tres quoque proprietates ceu substantia, quantitas possidet; suntque:

1. *Non suscipere magis, & minus*. Una nempe quantitas non est, nec dicitur magis quanta altera qualibet, bene vero major, vel minor mole.

2. *Non habere contrarium*. Nullum scilicet adinvenitur attributum, quod adeo sit quantitati contrarium, ut a corpore, quod afficit, valeat illam expellere.

3. *Esse fundamentum æqualitatis, & inæqualitatis*. Ut enim una res alteri sit æqualis, vel inæqualis, æqualem, vel inæqualem debet cum illa habere quantitatem, seu molem.

*De Relatione*.

§. 86. Relatio est respectus, sive ordo unius ad aliud; vel est id, quo unum ad aliud refertur; sic ordo, quem creatura ad Creatorem habet, & servus ad Dominum, relatio dicitur.

§. 87. Dividitur relatio in *realem*, & *rationis*. Illa dicitur, quæ inter duo adinvenitur, quin intellectus ad invicem illa referat, talis relatio inter duo pondera trium librarum. Ista ab intellectus operatione, duo inter se comparantis, pendet; sic dum inter aliqua quemdam ponit ordinem, unumque alio prius, vel posterius nominat.

§. 88. Est ulterius relatio *increata*, seu *Divina*, *trascendentalis*, & *categorica*. Prima inter tres Divinas Personas reperitur; Pater namque vere, ac realiter dicit relationem ad Filium, Filius vicissim ad Patrem, uterque simul ad Spiritum Sanctum referuntur, & Spiritus Sanctus ad Patrem, & Filium refertur: unde *Paternitas*, *Filiatio*, & *Spiratio* activa, ac passiva, ex quibus tres Divinæ Personæ sunt, obtinentur. Secunda ab intrinseca ratione rei, quæ refertur, pendet; talis est relatio Creaturarum ad Deum Creatorem, cui ab intrinseco, ratione nempe creationis, & dependentiæ, relationem dicunt. Tertia a fundamento rei distinguitur realiter, quæque ad aliquam Categoriam pertinet.

§. 89. Relationis characteres sunt tres sequentes:

1. *Relata esse simul cognitione*. Relatio namque cum necessario inter duo (§. 86.) reperiri debeat, sequitur, quod uno relatorum cognito, alterum noscatur quoque, opus sit: sic cognito Patre, illico noscitur filius, & vicissim.

2. *Relata esse simul tempore, atque natura*. Sic admisso Patre, ponitur filius, Patre ablato, filius aufertur, cum dari nequeat Pater absque filio, & filius absque Patre.

3. *Relata dici ad convertentiam*. Sic peroptime, ajo: A. est similis B. ergo B. est similis A.

### *De Qualitate.*

§. 90. Qualitas est id, per quod quælibet res, qualis est in se, sive per essentiam, sive per accidens, denominatur: sic *charta* per rubedinem, rubra, *anima* per rationem, rationalis dicitur.

§. 91. Qualitas dividitur ab Aristotele in *habitum*, *potentiam*, *patibilem*, & *figuram*. Habitus facilitas quædam est ad aliquid faciendum, ex repetitis actibus acquisita, ut *ambulare* in pueris, *scribere* in adolescentibus: quando habitus non est totaliter adeptus, *dispositio* audit, quæ *habitus inchoatus* dicitur quoque. Habitus vel *infusus* est, vel *acquisitus*. Infusus actus

omnes

omnes præcedit. Acquisitus autem constans dicitur in re aliqua vel corporis, vel animi perfectio, quæ non a natura, sed ab industria est parta. Potentia, vis naturalis est nobis indita, qua aliquid operamur, ut *memoriæ tenacitas* in homine; quæ si debilis fuerit, *impotentia* vocabitur. Qualitas patibilis accidens illud est, quod sensibiliter afficit subjectum, ut *albedo* in pariete, nigredo in corvo; affectio vero illa, quæ in sensibus fit, ut *rubor* in vultu ex verecundia oriens, *passio* dicitur. Figura tandem externa nuncupatur corporum terminatio, seu circumscriptio, ut figura *quadrata*, *triangularis*, *rotunda*.

§. 92. Tres pariter adsignantur qualitatis proprietates:

1. *Habere contrarium*. Una scilicet qualitas alteri opponi debet, ne simul in eodem stent subjecto, sed quæ potentior est, debiliorem expellat; sic calor tollit frigus, albedo nigredinem.

2. *Suscipere magis, & minus*, sive ut Scholastici ajunt: *posse intendi, & remitti*, non quidem relate ad se, sed relate ad subjectum, cui inest; sic nigredo nequit modo esse magis, nunc minus; benè vero subjectum aliquod nunc magis, nunc minus nigrum denominari potest.

3. *Esse fundamentum accidentalis similitudinis, & dissimilitudinis*; eo nimirum pacto, quo quantitas fundamentum est æqualitatis, & inæqualitatis.

*Reliquæ sex Categoriæ explicantur*.

§. 93. Actio est id, quo causa actu producens effectum, nominatur. *Passio* vero id, quo subjectum actu patiens, sive effectum recipiens dicitur. *Ubi* est relatio objecti ad locum aliquem. *Quando* est ordo ejusdem ad tempus, ut *hodiè*, *cras*, *modò*. *Situs* dispositio dicitur partium in loco, ut *stare*, *ambulare*. *Habitus* demum modus est aliquid sibi junctum habendi, ut *nummos*, *arma*, *vestes*. Nunc sit

CA-

# CAPUT V.

## *De Post-Prædicamentis.*

§. 94.

UT expoſita decem Ariſtotelis Prædicamenta magis, magiſque innoteſcant, eorumque intelligentia clarior evadat, non abs re putavimus ipſius Poſt-Prædicamenta heic ſubjungere, in quibus eorum Entium exponuntur proprietates, & accidentia, quæ in Categoriis locantur. Sunt autem Poſt Prædicamenta quædam Entium affectiones, ut *Oppoſitio*, *Prioritas*, *Simultas*, *Motus*, & *Poſſidere*.

§. 95. Oppoſitio duorum eſt, vel plurium attributorum in eodem ſubjecto non cohærentia, ſeu repugnantia. Eſtque multiplex, *contraria* nempe, *privativa*, *relativa*, & *contradictoria*. Contraria habetur, cum duo ſe mutuo ab eodem ſubjecto expellunt, ut *albedo*, & *nigredo*, *calor*, & *frigus*. Privativa dicitur, quæ inter formam, ejuſque privationem reperitur, talis oppoſitio inter lucem, & tenebras. Relativa inter ea adinvenitur, quæ ad invicem referuntur, inter filium nempe, & patrem, ſervum, & dominum. Contradictoria tandem eſt, quæ inter duo per affirmationem, & negationem repugnantia, habetur, ut: *Titius eſt prudens*, *Titius non eſt prudens*.

§. 96. Prioritas quintuplici ratione obtineri poteſt, *tempore* nimirum, *natura*, *ordine*, *honore*, & *cauſa*, juxtà ſequentes:

*Tempore*, *natura*, prius *ordine*, dic & *honore*:
*Cauſaque* cauſato dicitur eſſe prior.

Tempore quidem una res prior altera eſſe dicitur, cùm illam antiquitate præcedit; ſic Avunculus prior eſt Nepote, Filio Pater. Natura, quando natura ſua præcedit alteram; ità *animalitas* in homine eſt riſibilitate prior, cum hæc ex illa ſequatur. Ordine, cum unum

unum alterum in rerum ſerie præcedit, ut quatuor reſpectu decem. Honore, quando unus aliis dignitate præſtat; ſic Summus Pontifex Epiſcopis honore, ac dignitate eſt prior. Cauſa tandem, cum una res prior eſt altera eo modo, quo effectus eſt ſua cauſa poſterior, hæcque prior.

§. 97. Tribus modis ſimultas conſequi poteſt, *tempore* ſcilicet, *natura*, & *diviſione*. Tempore una res ſimul cum alia eſſe dicitur, cum eodem temporis momento exiſtentiam habent, ut duo oculi in fronte, duo pedes in corpore. Natura, quando exiſtentia unius ab alterius deduci poteſt; ſic filiatio a Paternitate colligitur, & vice verſa. Diviſione demum, cum binæ ſpecies idem genus, cujus ſpecies ſunt, actu dividunt; ità ſpecies rationalitatis, & irrationalitatis, quæ animalitatis genus, cujus ſpecies ſunt, bifariam dividunt.

§. 98. Motus ſex ab Ariſtotele numerantur ſpecies, h. e. *generatio*, *corruptio*, *accretio*, *diminutio*, *alteratio*, & *latio*, de quibus agere Phyſicorum eſt.

§. 99. Poſtremò octo modis aliquid poſſideri poteſt, 1. ad modum qualitatis, ut *prudentia*, *urbanitas*; 2. ad modum quantitatis, ut *magnitudo*, *longitudo*; 3. ad modum indumenti, ut *pallium*; 4. ad modum ornamenti, ut *horologium*, *enſis*; 5. ad modum partis, ut *pedes*, *manus*; 6. ad modum contenti, ut *vinum a dolio*; 7. ad modum dominii, ut *pecunia*, *ager*, *domus*; 8. tandem ad modum ſocietatis, ut poſſidere *famulos*, *diſcipulos*, *amicos*. Verum de his plusquam ſatis. Veniat itaque

CA-

# CAPUT VI.

## *De quinque Porphyrii Universalibus.*

§. 100.

SAeculo Christi tertio, Aureliano, & Diocletiano Imperatoribus, vir quidam nomine Malchus, Porphyrius dein ob vestis purpureæ indumentum, dictus, natione Judæus, patria Tyrius, arte Philosophus, secta Platonicus, Christianæ militiæ, cui nomen dederat, hostis infensus, a Chrysaorio Juvene Romano Auditore rogatus, ut faciliori itinere ad Aristotelicum Categoriarum palatium ipsum manuduceret; ei morem gerens Porphyrius *Isagogem*, h. e. Introductionem ad Categorias ipsas conscripsit, in qua naturas omnes Universi ad quinque capita, seu ad quinque universales ideas felici eventu reduxit, ad *Genus* nempe, *Speciem*, *Differentiam*, *Proprium*, & *Accidens*.

### *De Genere.*

§. 101. Genus est attributum universale, quod prædicatur de pluribus sola specie differentibus. Sic se habet *animalitas*, quæ de hominibus, & brutis, *Petro* nempe, & *cane* enunciatur; communis namque illis omnibus est, quamvis specie discriminentur, natura scilicet, ac essentia.

§. 102. Genus dividitur communiter in *proximum*, *remotum*, *supremum*, *medium*, & *infimum*. Proximum ità de pluribus specie differentibus prædicatur, ut nullum aliud attributum inferius admittat, de quo sub ratione generis enunciari itidem queat; talis est *animalitas* respectu speciei hominis. Remotum immediatè speciei non hæret, sed aliud sub se genus continet, talis *vita*, quæ ut ad homines, & belluas referatur, genus animalitatis sub se complecti debet. Supremum est, quod nulla alia genera supra se habet;

bet; tale est *Ens*, quod substantiæ, & accidentis genus supremum dicitur. Medium vocatur, quod suprà, & infrà genera alia possidet; sic *vita*. Infimum denique nuncupatur, quod sub se solas species continet, ut *animalitas* respectu hominis, & belluæ.

*De Specie.*

§. 103. Species attributum universale dicitur, quod de pluribus numero solum differentibus enuntiatur. Ità *natura brutina*, quæ de omnibus belluis, *equo* nempe, *bove*, *cane* solo numero discrepantibus, prædicatur.

§. 104. Dividitur species a Porphyrio in *supremam*, *mediam*, & *infimam*. Suprema unicum tantum genus supra se habet, ut *corpus* respectu substantiæ. Media sub medio genere est posita, ut *animal*, quod respectu hominum, & brutorum genus dici potest. Infima tandem, quæ *specialissima*, atque *atoma* etiam dicitur, nullam sub se speciem continet, sed tantum individua, *Paulum* nempe, *Petrum*, *Jacobum*. Definitur autem *Individuum* natura singularis proprietatibus constans, quarum collectio in uno, talis non adinvenitur in alio.

§. 105. Omnia scilicet alicujus speciei Individua, puta homines, eadem essentia, ac natura humana decorati incedunt; & nonnisi quibusdam accidentalibus affectionibus ad invicem differunt, juxtà sequentes.

*Forma*, *figura*, *locus*, *tempus*, cum *nomine*, *sanguis*,
*Patria* sunt septem, quæ non habet unus, & alter.

Difficile, ni impossibile dicam, est, ut duo Individua, *Petrus* nempe, & *Paulus* simul adductas possideant qualitates, 1. *formam*, h e. temperamentum, 2. *figuram*, externam nempe partium dispositionem, 3. *locum*, eamdem patriam videlicet, eamdemque civitatem, 4. *tempus*, eamdem scilicet aetatem, 5. *nomen*, idem nempe vocabulum, quo quisque nominatur, 6. *sanguinem*, nimirum eosdem Parentes, 7. *patriam*, h. e. eamdem Provinciam, vel Regnum.

De

§. 106. Omne id, quod præstat, ut unum Ens ab altero differat, Differentia vocitatur: sic *rationalitas*, qua homines, & bruta discriminantur, eorum differentia est.

§. 107. Differentia triplex est, *essentialis*, *propria*, & *accidentalis*. Prior, res per attributa essentialia facit differre; sic *materialitas* in corpore, *spiritualitas* in mente illa duo attributa essentialia sunt, per quæ corpus, & spiritus essentialiter differunt. Posterior, per proprietates Entia differre facit; sic ferrum per durittem differt a stamno. Ultima per sola accidentia facit res differre; talis est *virtus*, qua docti, & indocti discriminantur.

§. 108. Est ulterius differentia *suprema*, *media*, & *infima*. Suprema genus supremum, media medium, & infima, infimum genus dividit: sic *corporeitas* relatè ad substantiam, differentia suprema est, *animalitas* media, & *rationalitas* infima. De cetero, ut quæ hactenus de genere, specie, & differentia diximus clariora evadant, sequens attendatur.

*Porphyriana Arbor.*

| | | |
|---|---|---|
| | *Substantia.* | |
| in Corpoream. | | in Incorpoream. |
| | *Corpus.* | |
| | *Spiritum.* | |
| Animatum. | | Inanimatum. |
| | *Vivens.* | |
| | *Lapidem.* | |
| Sensitivum. | | Insensitivum. |
| | *Animal.* | |
| | *Plantam.* | |
| Rationale. | | Irrationale. |
| | *Hominem.* | |
| | *Brutum.* | |
| | *Paulus.* | |
| | *Canis.* | |

*Expiscatur*.

Substantia dividitur in *corpoream*, & in *incorpoream* Substantia corporea constituit *corpus*, incorporea *spiritum*. Corpus est vel *animatum*, vel inanimatum: corpus animatum constituit *vivens*, inanimatum *lapidem*. Vivens aliud est *sensitivum*, *insensitivum* aliud: vivens sensitivum constituit *animal*, insensitivum *plantam*. Animal est *rationale*, vel *irrationale*: rationale constituit *hominem*, irrationale *brutum*. *Paulus* est individuum hominum, & *canis* brutorum.

§. 109. Tres itaque descripto in schemate lineæ distinguuntur, una media, & duo collaterales. Quidquid in media adinvenitur, genera, & species sunt: sic *substantia* genus supremum est; *corpus* verò suprema illius species, h. e. corpus rerum corporearum, & spiritus incorporearum. Corpus relatè ad vivens genus est; *vivens* autem ejus species, sicut & lapis. Vivens respectu animalium, genus est, animal verò, & planta ejus species. Animal tandem est genus hominum, & brutorum; hi autem ejus species. Paulus, & canis individua sunt, ille hominum, iste brutorum: supremum genus, igitur, est *substantia*, medium *corpus*, & *vivens*, infimum *animal*. Pariter suprema species est *corpus*, media *animal*, & *vivens*; infima, seu atoma *homo*, & *brutum*.

§. 110. In lineis autem collateralibus locum occupant differentiæ, quæ genera dividunt: sic substantia, ut in schemate, dividitur a dextris in *corpoream*, & a sinistris in *incorpoream*: igitur substantiæ corporeæ, & incorporeæ supremæ sunt substantiæ differentiæ; mediæ animalitas, & inanimalitas, sensitivum, & insensitivum; infimæ demum, rationalitas, & irrationalitas.

## *De Proprio*.

§. 111. Proprium illud est attributum, quod accidentaliter quidem, sed necessariò, & inseparabiliter mul-

multis, vel specie, vel numero differentibus, convenit.

§. 112. Proprium quatuor modis haberi potest, 1. quod convenit *soli*, *sed non omni*, ut Geometram esse, soli homini convenit, sed non omni; 2. quod convenit *omni*, *sed non soli*, ut duos habere oculos omni utique homini, sed non soli convenit, cum etiam bruta duobus oculis prædita incedant; 3. quod *omni*, *soli*, *sed non semper* convenit, ut canescere convenit quidem omni, & soli homini, ast non semper, cum mors juventuti non parcat; 4. quod *omni*, *soli*, *& semper convenit*, ut scientiarum intelligentia, omni, soli homini, semperque convenit.

*De Accidente.*

§. 113. Accidens est id, quod adesse, & abesse potest, absque subjecti, cui hæret, destructione.

§. 114. Accidens nempe cum rerum essentiam haud ingrediatur, fit quod cum ipso, & sine ipso, talis semper res sit in se, qualis est essentialiter: sic *prudentia* sive adsit, sive desit in homine, utpote accidentalis, ejus essentia talis semper in se remanet.

§. 115. Accidens multiplex est, *separabile* nimirum, *inseparabile*, *intrinsecum*, *extrinsecum*, *physicum*, & *metaphysicum*. Primum a subjecto, cui hæret, suo in esse permanente, tolli potest, ut *albedo* a pariete. Secundum è converso non a parte rei, sed tantum per *intellectus abstractionem*, ceu scholæ assantur, tolli potest, ut *nigredo* ab æthiope, *albedo* a cycno. Tertium intrinsecè Entia afficit, ut *doctrina*, *prudentia*. Quartum secùs extrinsecè afficit subjectum, ut *laus*, quæ doctis tribuitur. Quintum Entia corporea physicè afficit, ut *sanguis*, *patria*, *nomen*. Ultimum denique objectum tantum denominat, hujusmodi est relatio unius ad aliud, servi nempe ad Dominum

§. 116. Scire heic confert, quod exposita Aristotelis Prædicamenta, Porphyriique Universalia nonnullis Recentioribus haud arrident, sed septem duntaxat

Entium genera, seu Prædicamenta statuunt; simulque in ipsa definienda substantia sic incedunt: Substantia, ajunt, vel corporea, vel incorporea; substantia incorporea vel est increata, infinita, summeque perfecta, & habetur *Deus*; vel est creata, finita, nec summè perfecta; quæ ulterius vel regendo corpori non est destinata, & dicitur *Angelus*, vel corpori regendo destinata est, & *anima rationalis* nuncupatur quæ insuper vel corpus non informat, estque ab ipso sejuncta, & vocatur *anima post mortem*, vel est juncta corpori, & audit *homo*. Similiter de corpore loquuntur: Corpus vel est non vivens, ut *sol*, *lapides*, aliaque hujusmodi, vel vivens; hoc vel sentiendi vim habet, & adpellatur *animal*, vel vi sentiendi caret, & *planta* vocitatur. Animal vel ratione destituitur, & vocatur *bellua*, vel ratione pollet, & dicitur *homo*, qui utramque participat naturam, spiritualem nempe, & corpoream. Septem dicta Recentiorum Prædicamenta sequenti comprehenduntur disticho:

*Mens*, *Mensura*, *Quies*, *Motus*, *Positura*, *Figura*,
Sunt cum *Materia* cunctarum exordia rerum.

§. 117. Mens est substantia spiritualis, ut *anima*, *Angeli*, *Deus*. Mensura quantitatem, h. e. extensionem in partes significat. Quies nuda est motus privatio, sive permanentia est corporis in eodem loco. Motus translatio est corporis ab uno in alterum locum. Positura partium dispositionem, ac ordinem denotat. Figura extrinseca est partium textura, quæ salva rei substantia, variari potest. Materia demum corpoream substantiam designat. Ast de his sat. Veniat itaque.

*Primæ Partis Logicæ finis.*

LO-

# L O G I C E S

## PARS SECUNDA.

## De Judicio, & Propositionibus.

PRima intellectus humani operatione, simplici nimirum perceptione, exposita, de ipsius judicio sermonem modo faciendi nobis panditur via: tanta namque mentis nostræ vis est, ut in sola rerum apprehensione stare haud patiens, statim ac aliquod ipsi a sensibus repræsentatur objectum, extemplò aliquid de ipso affirmat, vel negat; & hac propriè *judicare* dicitur.

### C A P U T I.

*Judicii natura explicatur.*

§. 118.

INterna illa mentis nostræ operatio, qua aliquid de alio affirmamus, vel negamus, *Judicium* audit.

§. 119 Dicitur nempe 1. Judicium *mentis operatio*, ut ejus designetur convenientia, quam cum simplici perceptione dicit, quæ pariter mentis est operatio (§. 45.). Dicitur 2. operatio affirmans, vel negans aliquid de alio, ut disconvenientia eruatur, quæ inter ipsum, & simplicem perceptionem intercedit, cum hæc affirmationis, & negationis expers sit omninò (ibid.). De aliqua re, igitur, judicamus, cum *bonam*, vel *malam* dicimus: sic de Palatio judicamus, quando adserimus: Palatium hoc ritè elaboratum est; vel hoc Palatium juxta architectonicas regulas extructum minimè est. De hominibus, ex. gr. de Paulo judicamus, cum ipsum doctum, vel indoctum, pru-

dentem, vel imprudentem nuncupamus: verbò *judicamus*, quando rei aliquid convenire, vel non convenire adstruimus.

§. 120. In quolibet itaque mentis nostræ judicio binarum idearum semper adinveniuntur notiones, una scilicet rei illius, de qua aliquid affirmamus, vel negamus, & altera illius, quæ datæ rei vel affirmando jungimus, vel negando ab ipsa removemus: sic judicare haud possumus, *Paulum esse prudentem*, ni primò *Paulus*, & *prudentia* nobis constent; idque de aliis dicatur.

§. 121. Judicium essentialiter duplex est. *affirmativum*, & *negativum*. Primum unam ideam alteri convenire pronunciat, ut *Petrus est prodigus*. Secundum secùs unam ideam alteri non convenire, adserit, ut *Angelus non est corporeus*.

§. 122. Veritas, & falsitas binæ sunt judicii proprietates: judicium itaque illud verum est, quod proprio objecto est consentaneum, ut *Deus est bonus*; bonitas namque reipsa competit Deo. Falsum è converso proprio objecto minimè congruit, ut *Deus est finitus*. Falsum mentis judicium vocitari assolet quoque a Logicis *Præjudicium*, cujus nomine mentis præcipitatio venit, seu opinio animo præconcepta, antequam prævié de rebus judicavimus.

## CAPUT. II.

### *De Præjudiciorum fontibus, eorumque opportunis remediis.*

§. 123.

Triplici potissimum ex fonte defectus illi, queis judicia nostra labefactari solent, promanare videntur; vel scilicet a *sensibus*, vel ab *intellectu*, vel demum a *voluntate*.

§. 124. Ab errore quidem sensuum 1. præjudicia na-

nascuntur, quia vel ab ipsa infantia non aliter de rebus judicium ferre consuevimus, quam juxtà sensuum, quæcunque fuerint, repræsentationes: sic ab oculis in infantia decipimur, dum *Lunam bipedalem* esse judicamus, eo quod sub tanta oculis nostris adpareat magnitudine, nihil de ipsius ab hac nostra tellure intervallo, solliciti. Decipiunt insuper nos oculi circa rerum magnitudinem, & figuras, quæ aliter ac exhibentur ab ipsis, ope microscopii deprehenduntur. Nec non & circa motum. Plerumque enim stare dicimus, quæ moventur, & secus moveri, quæ stant; sic dum de navium motu judicamus. Nec inferioris notæ sunt præjudicia illa, quæ de aliis sensibus imbibit mens nostra; & quod spectat ad *nares*, *aures*, & *gustum*, si dictis sensibus fides præstanda est, *odores*, *sonos*, & *sapores* qualitates esse corporum reales indicant, cum nihil aliud apud Philosophos sint, quam sensationes, h. e. potentiæ quædam sensationes hujusmodi excitandi aptæ. Ad tactum denique quod attinet, vulgi opinio est, voluptates, & dolores aliquos ad eas corporis partes esse referendas, in quibus sentiuntur (de tactu interno loquimur); cum voluptates primæ ex solis animi cogitationibus exoriantur, & secundæ ex placidis corporis motionibus: sic etiam primi dolores ex dolorificis animi cogitationibus originem ducunt; secundi autem ex violentis corporis motibus Ludimus quoque a tactu externo, quando ex suo soliditatem, quæ Corporum attributum est, æqualem in omnibus corporibus haud experiamur, qualitatem remissionis, & intentionis capacem dicimus. Idipsum dicito etiam de gravitate, duritię, mollitie &c.. Hæc inquam, aliaque hujusmodi sensuum præjudicia in causa sunt, ut mens multoties in judicando fallat. A quibus ut aliena prorsus sit mens ipsa, ad sequentes canones attendat, est opus:

1. *Curato ut sensus sint perfectè constructi*, *atque dispositi*; secus enim fideliter externorum objectorum imagines menti haud repræsentabunt, ceu tempore

*somni*, *infirmitatis*, &c. accidit.

2. *Objecta, de quibus judicamus, in proportionata sint cum sensibus distantia:* quo namque pacto poterit oculus ex. gr. veram, genuinamque *turris* alicujus menti exhibere repræsentationem, si illam a longè vel nullimodè, vel aliqua saltim ex parte attingat?

3. *Medium*, h. e. *locus*, *in quo objecta extant*, *sit simplex*, *& homogeneum cum loco*, *in quo stant sensus:* sic qua ratione poterit intellectus verum de *remo* judicium, partim in aqua, & partim foris, scilicet in aere posito, ferre, si curvus, & fructus ille sensibus adpareat, sicque menti repræsentetur?

4. *In iis*, *quæ a sensibus repræsentantur*, *omnis infantiæ*, *consuetudinisve seponendus est error*, *neque de re sensibili judicandum*, *nisi ex variis sensationibus pluries eadem res constanter ostendatur*.

5. *In ambiguis sensuum repræsentationibus suspendatur judicium*, *donec consilio*, *rationeque adhibitis*, *ipsarum veritas menti pateat;* si namque secus mens se geret, & ullo absque examine, ac præcipitanter de rebus ipsis judicabit, ipsa propriè, formaliterque errorum erit causa, minimè sensus, utpote qui fideles sunt internuncii, resque externas prout afficiuntur, ac immutantur menti repræsentant. Meritò hinc italicè Cambailla cecinit, inquiens (a).

Non erra la *potenza sensitiva*,
Che sempre *sente* ciò, che sente il senso;
E se alla *realtà* pur non arriva,
E' mera sol debilità del senso;
Erra la *facoltà mia volitiva*,
Se al *dubio suo sentir* presta il consenso.

§. 125. Sua quoque habet *intellectus* præjudicia, queis retentus, liberè nequit de rebus conceptis judicare, sed a primo errore, tacitè in alium abripitur; idque fit, quod cum mens inconsulto judicium aliquod tanquam verum, sibique conveniens conceperit,

(a) Cant. 1. num. 65.

rit, singula, & omnia judicia, quæ præconceptæ opinioni consona adparent, inconsideratè, ulloque absque examine amplectitur, eaque ceu rectè judicata admittit. Enasci autem videtur id, quia omnes ad scientiarum ardorem trahimur, nil de mentis nostræ finitate, rerumque obscuritate solliciti. Quapropter necessum est, ut mens.

1. *In judicando de rebus perceptis, nullos admittat terminos, quos prius accuratissimè non perceperit; atque si obscuritate suffulti illi sint, explicentur, si confusione, distinguantur.*

2. *Terminis, ideisque clarè, distinctèque perceptis, si termini inter se conveniant, unus de altero affirmetur; si vero disconveniant, denegetur.*

3. *Si autem terminorum convenientia, vel discrepantia illicò non appareat, tandiu cohibeatur judicium, donec aliqua saltim ex parte illa innotescat.*

§. 126. Nec inferioris demum momenti sunt præjudicia illa, quibus *Voluntas* obvolvitur. Licet enim recta ratio dictet, ut *velle* nostrum mentis lumen, verumque judicium constantissimè sequatur, tamen varios ob affectus, amore potissimum sui ipsius, aliorumque odio, omnem judicii mentis actum præcedit, propriisque affectionibus ipsum accomodat. Amo hunc, ajunt hujusmodi præjudicati homines: est ergo hominum optimus; illum odi: ergo est pessimus. Ex hoc nimio sui ipsius amore, aliorumque contemptu deducendum, omnes homines sapientes, stultosque esse: sapientes in proprio judicio, stultos in judicio aliorum. Ad rem hinc Tullius (a): *Suum cuique pulchrum est: adhuc neminem cognovi Poetam, qui sibi non optimus videretur, sic se res habet, te tua, me delectant mea.* Majoris insuper perniciei sunt judicia illa

(a) *Tuscul.* 5.

illa, quæ ex aliorum, & præsertim vulgi (*) opinione formant nonnulli ignari homines, quorum proprium est pecudum more alios sequi, nil de causa, qua sic affantur, solliciti. Verum potius quam hujusmodi compatiamur homines, remedia ipsis exhibemus opportuna, quibus mediis, si velint, a dicta judicandi consuetudine mala possent se eximere.

1. *Operam dato, ne animus in judicando aut odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut aliis affectibus occupetur.*

2. *Vulgi, & suspecti hominis adsertiones perpendito, nec statim proprium judicium illorum opinioni accomodato, sed illud suspendito donec cum aliis fide probatis sermone habito, veritas elucescat.*

3. *Quæ judicasti affectu agitato, serena mente ad incudem revocato; simulque rationem cole, qua sola ductrice, verum semper judicabis.* His inquam legibus ex animo si attenderit mens humana, mehercle *judex justitiæ* erit.

## CAPUT III.

### *De Propositionis natura, & divisione.*

§. 127.

INternum mentis nostræ judicium verbis expressum, *propositionem*, *enunciationem*, sive *adsertionem* constituit, quæ idcircò definitur merito: Oratio unum de alio affirmans, vel negans.

§. 128.

(*) Quæsitus Summus Pontifex Joannes XXIII. *quid foret a veritate remotius?* respondit revera divino afflatus spiritu, *vulgi sententia*. *Quicquid enim laudat, vituperio dignum est: quicquid cogitat, vanum: quicquid loquitur, falsum; quod adprobat, malum: & quidquid extollit, infame.*

§. 128. Quemadmodum mentis judicium binarum idearum notiones continet ( §. 120. ), sic & propositio quævis judicii interpres duobus terminis constare debet. Horum autem unus rem denotat, de qua judicamus; alter id, quod de data re affirmamus, vel negamus: ille *subjectum*, hic vero *prædicatum* dicitur: sic hacce in enunciatione: *Socrates est Philosophus*, subjectum est *Socrates*, prædicatum verò *Philosophus*; verbum autem *est*, utriusque termini, subjecti nempe, & prædicati *nexus*, sive *copula* vocatur.

§. 129. Advertere hic 1. confert, propositionis verbum esse vel *substantivum*, vel *adiectivum*. Primum affirmationem solummodo indicat, ut *sum*, *es*, *est*. Secundum præter affirmationem, alterutrum etiam, sive quoque utrumque enunciationis terminum, seu extremum, h. e. subjectum, & prædicatum implicitè continet, ut *scribo*, *ambulo*, &c. Est namque *scribo* idem ac *ego sum scribens*; *ambulo* perindè ac *ego sum ambulans*. Hocce præmisso.

§. 130. Sciendum 2. quod non semper opus est, ut in omni adsertione subjectum, prædicatum, & verbum exprimantur, utpotè subjecti, & prædicati vices gerere potest verbum, quando est adiectivum: hinc exoriuntur propositiones illæ Scholasticorum, de *primo* nempe, *secundo*, & *tertio adjacente*. Prima dicitur, in qua subjectum, & prædicatum non exprimuntur, latent tamen in verbo, ut hæc: *sedeo*, quæ idem est, ac *ego sum sedens*. Secunda subjectum tantum exprimit, reticendo prædicatum, ut: *ego sedeo*. Tertia tandem subjectum, prædicatum, & verbum promit, ut: *ego sum peccator*.

§. 131. Advertendum ultimò, quod in enunciationibus idea subjecti diversa esse debet ab idea prædicati, alioquin propositiones *identicæ* obtinentur, ut in istis fit palam: *planta est planta*, *animal est animal*, *homo est homo*, in quibus, ut patescit, subjectum sui ipsius prædicatum est, quæ propositiones *nugatoriæ* dici quoque solent.

§. 132.

§. 132. Ut autem clarius enunciationis natura innotescat, sicuti & mira ejus varietas, quatuor potissimum in ipsa veniunt consideranda, *materia* nempe, *forma*, *quantitas*, & *qualitas*. Propositionis materia illa vocabula sunt, ex quibus componitur; sic se habent *subjectum*, & *prædicatum*. Forma unius est de alio affirmatio, vel negatio; sive conjunctio, vel separatio prædicati cum subjecto. Quantitas extensio est ad plura, vel pauciora indicanda. Qualitas demum subjecti, & prædicati simul junctorum proprietates exprimit. Has seorsim trutinabimus.

## CAPUT IV.

### *Divisio Propositionis ratione materiæ.*

§. 133.

MAteria propositionis, ut modo dicebamus, termini illi sunt, queis ipsa constat: hinc cum termini quatuor potissimum modis connecti inter se queant, *necessariò* scilicet, vel *contingenter*, *possibiliter*, vel *impossibiliter*, sequitur quod propositio ratione materiæ quadruplex est, *necessaria*, *contingens*, *possibilis*, & *impossibilis*.

§. 134. Propositio necessaria dicitur, quæ necessariam importat convenientiam prædicati cum subjecto, ut ista: *Deus est sapiens*; ità namque *sapientia* necessario Deo convenit, ut removeri ab ipso nullo pacto queat. Contingens secus illa est, in qua per accidens, & contingenter prædicatum de subjecto enunciatur; ut hæc: *Andreas est doctus*; ità siquidem *doctrina* contingenter de Andrea prædicatur, ut possit ipsi convenire, & non convenire, quin ejus vel tantillum essentia lædatur.

§. 135. Possibilis propositio illa audit, in qua prædicatum actu subjecto non convenir quidem, potest tamen illi convenire, ut ista: *Juvenis est canis*; vel

pec-

*peccator est famulus Dei*; canities enim Juveni, servitus Dei peccatori actu non conveniunt quidem, possunt tamen ipsis absque repugnantia convenire. Impossibilis tandem illa audit enunciatio, cujus prædicatum nec actu, nec potentia subjecto convenit; ut *equus est arbor; arbor est lapis*. Omnes traditæ enunciationes *absolutæ* dicuntur, si prædicatum absolutè de subjecto affirmetur, vel negetur; ut *Mens humana substantia est spiritualis; Angelus non est corporeus*. Si verò modus, quo de subjecto prædicatum affirmatur, vel negatur, explicetur, *modalis* enunciatio habebitur; ut ista: *Deus necessario est sanctus*; vel *homo contingenter est prudens*.

§. 136. Propositio ratione materiæ dividitur ulterius in *simplicem*, & *compositam*. Simplex est, quæ simplicibus constat terminis, unico nempe subjecto, & prædicato; ut *Lupus est latro*. Composita verò secus ex pluribus terminis componitur; ut hæc: *Beata Virgo Maria, quæ concepta est absque originis nævo, Mater est Unigeniti Filii Dei*.

§. 137. Enunciatio composita ob varias particulas componentes, quas in se complectitur, sex alias consequitur species, nimirum est *copulativa*, *disjunctiva*, *causalis*, *conditionalis*, *relativa*, & *discretiva*. Copulativa, sive conjunctiva illa est propositio, quæ plures simplices jungit enunciationes per particulas conjunctivas *&*, *atque*, *ac*, *nec non*; ut sunt istæ: *Abstrahunt a recto divitiæ, honores, potentia, & cetera, quæ opinione nostra cara sunt, pretio suo vilia* (a):

*Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,*
*Fit minor; & spatio carpitur illa suo.*

*Lapides, aurum, & argentum terrena sunt pondera, quæ non potest amare sincerus animus, & natura suæ memor* (b).

Matrem. §. 138.

---

(a) Seneca *epist.* 81.

(b) Idem *epist. consolat. cap.* 11. *ad Elviam*.

§. 138. Disjunctiva propositio est, quæ simplices enunciationes per particulas disjunctivas *aut*, *vel*, *sive* unit, ut sequentes: *Inimica est multorum conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit* (a).

*Consules fiunt quotannis, & novi Proconsules;*
*Solus aut Rex, aut Poeta non quotannis nascitur.*

*Citius mori, vel tardius, ad rem non pertinet: benè mori, vel malè, ad rem pertinet. Benè autem mori, est effugere malè vivendi periculum* (b).

§. 139. Causalis illa nuncupatur, in qua simplices propositiones per causalem particulam *quia*, *ut*, *quod* junguntur; ut: *Torquet ingratus se, & macerat: odit quæ accepit, quia redditurus est, & extenuat: injurias verò dilatat, atque auget* (c).

*Prima fere vota, & cunctis notissima templis*
*Divitiæ, crescant ut opes, ut maxima toto*
*Nostra sit arca foro* . . . . (d)

*Amet quod cogitur discere, ut non opus sit, sed delectatio, non necessitas, sed voluntas* (e).

§. 140. Conditionalis est, quæ simplices unit enunciationes per particulam conditionalem *si*, *nisi*, *ut*: *Nihil est tam angusti animi, tamque parvi, quam amare divitias: nihil honestius, magnificentiusque, quam pecuniam contemnere si non habeas; si habeas ad beneficentiam, liberalitatemque convertere* (f).

*Quis enim virtutem amplectitur ipsam,*
*Præmia si tollas?* . . . . (g).
. . . . . *Ciceroni nemo ducentos*
*Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.*

§. 141.

(a) Idem *epist.* 7.
(b) Seneca *epist.* 70.
(c) Idem *epist.* 81.
(d) Juvenal. *satyr.* 10.
(e) S. Hieron. *epist. ad Gaud.*
(f) Cicero *lib.* 1. *off. num.* 68.
(g) Juven. *satyr.* 10.

§. 141. Relativa illa est, quæ simplices enunciationes per relativas particulas *ibi*, *ubi* copulat, ut: *Tunc autem consumata est infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent: & desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores sunt* (a). *Ubi sunt Mulieres, ibi mala sunt omnia* (b).

„ Nullum habent momentum vexatio, & dolor, & „ quidquid aliud incommodi est; virtute enim obruitur. Quemadmodum minuta lumina claritas Solis obscurat; sic dolores, molestias, injurias virtus „ magnitudine sua elidit, atque opprimit; & quocumque affulsit, ibi quidquid sine illa apparet, extinguitur: nec magis ullam portionem habent incommoda, cum in virtutem inciderent, quam in „ mari nimbus (c).

§. 142. Discretiva tandem enunciatio illa audit, quæ simplices propositiones per particulas discretivas *verum*, *sed*, *tamen* conjungit, ut: „ Malè de te loquuntur homines. Sed mali. Moverer, si de me „ Marcus Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si „ duo Scipiones ista loquerentur. Nunc malis displicere, laudari est. Non potest ullam auctoritatem „ habere sententia, ubi qui damnandus est, damnat. „ Malè de te loquuntur. Moverer, si judicio hoc „ facerent: nunc morbo faciunt; non de me loquuntur, sed de se. Malè de te loquuntur. Benè nesciunt loqui: faciunt non quod mereor, sed quod „ solent; quibusdam enim canibus sic innatum est, „ ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent (d).

*Cadaver nec habet suum sepulchrum,*
*Sepulchrum, nec habet suum cadaver.*
*Sepulchrum tamen, & cadaver intus.*

*Quemadmodum stultus est, qui equum emturus, non ipsum*

(a) Sen. *epist.* 39.
(b) Menander.
(c) Sen. *epist.* 66.
(d) Seneca.

*ipsum inspicit, sed stratum ejus, ac frenos; sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex conditione aestimat* (a).

§. 143. Composita enunciatio dividitur adhuc in *exclusivam*, *comparativam*, & *reduplicativam*. Exclusiva dicitur, quae praedicatum ita subjecto copulat ope particulae exclusivae *solum*, *duntaxat*, *tantum*, ut illud nulli alteri convenire possit, sic: *Rex solum imperat.* Comparativa est, in qua praedicatum de aliquo subjecto enunciatur per comparationem ad aliud, ut:

*. . . . . . Libertas pauperis haec est;*
*Pulsatus rogat, & pugnis concitus adorat* (b). . . . .
*Nil habet infelix paupertas durius in se,*
*Quam quod ridiculos homines facit . . .* (c).

„ Quid autem foedius, quid indignius, quam comparare veneranda contemptis? Veneranda enim sunt fides, justitia, pietas, fortitudo, prudentia: è contrario vilia sunt, quae saepe contingunt pleniora vilissimis, crus solidum, & lacertus, & dentes, & horum sanitas, firmitasque (d). Reduplicativa demum illa audit enunciatio, in qua nedum praedicatum subjecto jungitur, sed per particulas *reduplicativas quatenus*, *prout*, *quoad* ideò praedicatum subjecto convenire dicitur, quia subjectum tale determinatur, & non aliud; ut: *Faber ferrum incurvat, quatenus Faber est*. Patet hinc, reduplicativam propositionem cum causali convenire (§. 139.), cum illius vis per hanc exprimatur: sic *Faber ferrum incurvat quatenus Faber est*, valet idem, ac *Faber, quia Faber est, incurvat ferrum*.

§. 144. Addunt heic nonnulli propositiones *complexam*, & *incidentem*. Prior illa dicitur, quae inter simplices, & compositas enunciationes ponitur, quae-

que

---

(a) Idem *epist.* 47.
(b) Juven. *satyr.* 3.
(c) Idem *ibid.*
(d) Seneca *epist.* 92.

que terminis complexis constat, ut hæc: *Homo qui justificabitur, vivet*; Tò *homo qui justificabitur*, subjecti locum tenet: *qui justificabitur* autem implicitè saltem enunciationem exprimit, cujus subjectum est pronomen *qui, quæ, quod*. Dicta propositio si incidere in aliam videatur, *incidens* nominabitur, quæ aliud judicium exprimit antea formatum, vel alteri notum, vel concessum; ut in ista adparet: *Christus, qui est Filius Dei, pro omnibus mortuus est*; qua in propositione, ceu patet duo prædicata de Christo enunciantur, quod nempe sit *Filius Dei*; & quod *denatus sit pro omnibus*: hoc secundum judicium tanquam modo formatum exprimitur; primum verò veluti antea expressum supponitur.

## CAPUT V.

### *Propositio ratione formæ dividitur.*

§. 145.

Affirmatio, vel negatio unius de alio, enunciationis, ceu diximus (§. 132.), forma sunt: ratione igitur formæ est propositio *affirmans*, vel *negans*. Affirmativa dicitur, quæ prædicatum de subjecto enunciat; ut: *Mens humana est substantia spiritualis*. Negativa secùs prædicatum de subjecto negat per particulam negativam *non*; ut: *Anima non est corpus; Franciscus non est prudens*.

§. 146. Advertendum heic, quod dum de negativa agitur enunciatione, negatio prædicati de subjecto, h. e. particula negativa *non* cadere semper debet supra verbum, nempe supra vinculum, seu nexum extremorum; alioquin si in prædicatum, vel subjectum caderet, propositio adhuc affirmans, minimè negans foret, sic se habent sequentes: *Andreas est non sapiens; non Angelus est corpus*; videlicet *Andreas* &c. idem est, ac *Andreas est quid diversum a non sapien-*

*te*, nempe *est sapiens*; ità etiam *Non Angelus* &c. perindè est, ac *Angelus non est corpus*, *seu incorporeitate gaudet*.

## CAPUT VI.

### *Divisio propositionis ratione quantitatis.*

§. 147.

JAm diximus (§. 132.) propositionis quantitatem, ipsius extensionem esse ad plura, vel pauciora indicanda. Hujus idcircò ratione dividitur enunciatio in *particularem*, *universalem*, *singularem*, & *indefinitam*. Particularis est, cujus prædicatum indeterminatè, ac confusè peculiare aliquod respicit subjectum, ut *aliquis studens est vafer*; *aliquis est candidus*. Universalis autem subjecto constat universis ejusdem generis, vel speciei applicabile; ut *omnis homo est ratione præditus*: Ubi sciendum, quod si enunciatio universalis omnia inferiora genera, species, & individua, ne uno quidem excepto, comprehendat, universalis *universalitate metaphysica* dicetur, ut mox dicta: *omnis homo* &c. Si autem non omnia sibi inferiora, sed fere omnia complectatur, universalis *universalitate morali* vocitabitur; ut:

*Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,*
*In quo nupta jacet, minimum dormitur in illo* (*a*).
*Omnibus hoc vitium est cantoribus; inter amicos*
*Ut nunquam inducant animum cantare, rogati,*
*Injussi, nunquam desistant* . . . . (*b*).
*Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,*
*Rem magnam præstas Zoile, si bonus es* (*c*).

§. 148. Singularis est, quæ subjecto constat determina-

(a) Juven. *satyr.* 6.
(b) Horat. *satyr.* 3. v. 1.
(c) Martial. *lib.* 12. *epist.* 54.

minato, ac singulari; ut: *Paulus bonum operatur.* Indefinita tandem subjectum universale, & indefinitum possidet, ut: *bellua est irrationalis; homo ratione pollet.*

§. 149. Satis clarè ex nunc dictis patescit, propositionem indefinitam æquivalere universali universalitate metaphysica: illud namque attributum, quod *necessario* uni convenit individuo alicujus speciei, vel repugnat; convenit pariter, vel repugnat omnibus, ac singulis individuis eidem specie subjectis; sic *bellua est irrationalis*, aequivalet huic: *omnis bellua est irrationalis*. Diximus *necessariò*, seu in *materia necessaria*: in *materia* verò *contingenti* indefinita enunciatio aequivalet tantum particulari, vel etiam universali universalitate morali; sic ista: *homo est prudens*, huic aequivalet: *aliquis homo est prudens*; sic pariter hæc: *Canì sunt impatientes*, aequivalet huic: *omnes ferè cani impatientes sunt*. Patet etiam discrimen inter enunciationem particularem, & singularem: illa non determinat; ista secus subjectum constituit.

## CAPUT VII.

### *Propositio ratione qualitatis dividitur.*

§. 150.

ADsertionis qualitas, veritas, & falsitas sunt (§. 132.): ratione itaque qualitatis propositio duplex est, *vera*, & *falsa*. Prior habetur, cum prædicatum revera subjecto convenit, ut: *Deus est simplex*; simplicitas enim de facto convenit Deo. Posterior è converso, cujus prædicatum haud subjecto convenit, ut: *Angelus est corporeus*; corporeitas siquidem haudquaquam in Angelis reperitur, ac per consequens nonnisi falsò de ipsis enunciatur.

§. 151. Propositio vera, sciendum modo, talis esse potest *materialiter*, vel *formaliter*, ut scholæ loquun-

tur. Materialiter vera eſt, cum attributum, ſive prædicatum non naturæ, ſed nomini, ſeu voci ſubjecti convenit, ut *homo eſt nomen biſyllabum*, *ſubſtantivum*, &c. Formaliter vera ſecus non nomini, ſed ſubjecti eſſentiæ prædicatum tribuit, ut *Mens humana ſubſtantia eſt ſpiritualis*.

§. 152. Eſt ulterius propoſitio vera in *ſenſu litterali*, vel in *ſenſu allegorico*. Litteraliter vera eſt enunciatio illa, qua ità res accipiuntur, prout litteraliter voces, queis exprimuntur, denotant, ut: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit* (a). In ſenſu autem allegorico, ſeu *metaphorico* vera dicitur propoſitio illa, in qua voces ipſæ in aliqua translata ſignificatione uſurpantur, ut: *Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt* (b). Addunt heic nonnulli ſenſus *Anagogicum* & *Moralem*. Verum hi in Allegorico comprehenduntur. Rè: ſi ſenſus Allegoricus circa Coeleſtem Patriam, æternamque beatitatem verſeturo *Anagogicus* nuncupatur; ut: *Illa quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt: quæ eſt Mater noſtra* (c). Si autem Allegoria humanas mentes alloquatur, ut convertantur ad operandum id, quod recta ratio, Divinaque Lex præcipit, ſenſus *moralis*, ſive *Tropologicus* obtinetur, ut: *Jeruſalem, Jeruſalem convertère ad Dominum Deum tuum* (d); vel: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te* (e). Dicti ſenſus hocce continentur diſticho:

*Littera* geſta docet; quid credas *Allegoria*;
*Moralis* quid agas; quo tendas *Anagogia*.

§. 153. Enunciatio tandem vera eſſe poteſt in *ſenſu compoſito*, vel in *ſenſu diviſo*. Priori modo habetur, quando prædicatum importat eodem tempore ſub-

(a) Joan. 8. v. 47.
(b) Idem 15. v. 1.
(c) Apoſt. *ad Galat.* c. 4. v. 26.
(d) Jerem. Proph.
(e) Matth. 18.

subjecto conveniens, nec mutatur; ut si quis diceret: *aqua est elementum humidum*, hunc sensum efficeret; *aqua quandiù est aqua, dum aqua remanet, elementum est humidum*. Posteriori autem in sensu habetur, cum prædicatum non tempore præsenti, sed futuro de subjecto enunciatur; ut: *homo peccator est servus Dei*; *homo dormiens, vigilat*, hunc sensum faciunt: ubi *homo iniquitates reliquerit, servus Dei erit; ubi dormire desierit, vigilabit*.

§. 154. Quoad propositiones veram, & falsam (§. 150.) scire est, quod cum earum veritas, vel falsitas non semper eodem modo innotescat, sed varios obtineat veritatis, falsitatisque gradus, sequens attendenda est enunciationis divisio. Est scilicet tandem *per se nota*, *necessariò vera*, *evidens*, *certa*, *probabilis*, *verisimilis*, atque *dubia*.

§. 155. Propositio per se nota est, cujus veritas ex sola terminorum, queis constat, perceptione, illico innotescit; ut: *totum est sua parte majus; bina binis addita quatuor efficiunt; impossibile est idem simul esse, & non esse*, aliaque hujusmodi; quæ *Principia*, *Axiomata*, & *Proloquia* dicuntur etiam. Necessario vera illa audit, quæ ità cum veritate jungitur, ut de ejus opposito dubium esse nequeat; estque triplex, *metaphysice* nimirum, *physicè*, & *moraliter*. Primo modo vera est propositio, cum impossibile est, contradictionemque involvit, ut diversa ratione se habeat, ac exprimitur; sic se habent dicta axiomata: *totum est* &c. Secundo modo vera dicitur, quæ attentis naturæ legibus talis esse debet, nec fallere queit; tamen si falleret, nulla inde sequeretur absurditas sic verum est: *omne corpus grave libere relictum ruit deorsum*. Tertio tandem modo vera audit illa, quæ revera est talis, nec falsitati subjicitur; tamen si falsa esset, nec inde leges naturæ violarentur, nec aliqua sequeretur contradictio; ita verum est: *hominis mendacis nulla est auctoritas*.

§. 156. Enunciatio evidens dicitur, quæ ita vera

relucet menti, ut ipsa prædicati ad subjectum habitudo, vivide mentem ipsam percellat. Certa est, cui mens firmiter hæret absque ulla de ipsa dubitatione, quia talis menti apparet, ut necessario ipsi teneatur assentiri. Probabilis nuncupatur, quæ cum veritate ut plurimum conjugitur, sed potest mens de ipsa dubitare, quod possit nempe falsitati subjici, ceu multoties accidit; ut hæc: *rubrum in sero, indicat mane serenum*. Verisimilis dicitur, quæ veritati approximatur, & aliqua ratione cum probabili convenit. Dubia tandem propositio est, quæ vera, vel falsa num sit nullæ rationes extant; vel si adsunt, æqualis sunt ponderis.

§ 157. Ex hucusque dictis, colligendum 1. quod licet propositio per se nota ( § 155. ) sit quoque evidens, non tamen enunciatio evidens ( § præc. ) per se nota dici potest: plures namque reperiuntur adsertiones evidentes, quarum veritas, vel falsitas, habita quoque terminorum perceptione, illico, & immediate haud elucet; quo circa duplex distinguenda est in propositionibus evidentia, *immediata* nempe, & *mediata*: prior in laudatis adinvenitur enunciationibus *totum est* &c. ( § 155. ); posterior, sive mediata in illis adest propositionibus, quæ ex aliis per se notis immediatè deducuntur; ut hæc; *brachia minore sunt toto corpore*, quæ, ut patescit, ex illa: *totum est* &c. immediate infertur. De ducendum 2. certitudinem, qua enunciatio certa fulcitur, affectionem potius mentis, quam propositionis esse adstruendam: sæpe enim contingit, adsertiones quasdam certas ab aliquibus defendi, quæ aliis incertæ apparent; immo & pro temporum verietate ipsis, quibus certæ videbantur, incertas obversari. Fatendum tamen, enunciationem posse in se certam dici, modo certitudo pro dati objecti immutabilitate, sumatur. Hinc ut omnis hanc circa rem dubietas tollatur, duplex distinguenda venit certitudo *subjectiva* nempe, & *objectiva*. Prior adinvenitur in mente firmiter hærente objecto illi per enuncia-

cia-

ciationem prædicato. Posterior vero in objecto reipsa immutabili, reperitur. Probe insuper heic cavendum, ne propositio certa cum evidenti confundatur (§ praec.) Licet enim omnis enunciatio evidens sit etiam certa; non tamen omnis propositio certa est evidens: plura siquidem apprime obscura sunt, de quibus tamen, num vera sint, nullo pacto metuere debemus.

Inferendum 3. adsertionem probabilem suos habere probabilitatis gradus. Nemo enim inficias it, enunciationem illam, altera probabiliorem esse, quæ magis vero approximatur: duplex hinc distinguenda probabilitas, *intrinseca*, & *extrinseca*. Prior, est, quæ propter aliquam rationem veritati approximatur. Posterior autem, cuius probabilitas ex humana sumitur auctoritate, atque ideo veritati consona videtur. Patet hinc convenientia, & discovenientia enunciationis verisimilis cum probabili, conveniunt, quia ambo tendunt ad verum; disconveniunt, quia probabilis varios admittit probabilitatis gradus, verisimilis, autem, ut vox ipsa sonat, cum veritate ipsa similitudinem aliquam ac analogiam præsefert.

Colligendum ultimo, popositionem dubiam ratione momentorum pro vero, & falso militantium, duplici modo posse talem dici, *positive* nempe, & *negative*, Enunciatio positive dubia est, quæ momenta æque valida, ejusdemque ponderis admittit. Negative dubia vero dicitur, pro cujus veritate, vel falsitate nullæ rationes extant.

## CAPUT VIII.

### *De Enunciationum oppositione, conversione, & æquipollentia.*

### §. 158.

ENunciationum prop[illegible]tibus ratione materiæ, formæ, quantitati[illegible] [illegible]alitatis expositis; de

tri-

tribus aliis nunc earumdem qualitatibus differere nobis remanet. Ejusmodi autem sunt *Oppositio*, *Conversio*, & *Aequipollentia*.

§. 159. Oppositio binarum est propositionum eodem subjecto, & attributo præditarum repugnatia, vel secundum formam, vel secundum quantitatem, vel secundum utramque simul.

§. 160. Binæ scilicet hujusmodi enunciationes vel contrariæ sunt ad invicem secundum formam (§. 145.) ea nempe ratione, ut una sit affirmans, & negans altera; & tunc dicuntur *contrariæ*, vel *subcontrariæ*; contrariæ quidem, si amabo universales fuerint; ut: *omnis homo est prudens; nullus homo est prudens*: subcontrariæ autem, si amabo fuerint particulares; ut: *aliquis homo est prudens; aliquis homo non est prudens*. Vel pugnant ad invicem secundum quantitatem (§ 147.), ita ut una sit universalis, altera particularis, & Subalternæ vocitantur sive affirmantes sint, sive negantes; ut: *omnis homo est prudens; aliquis homo est prudens*; vel secus: *nullus homo est prudens; aliquis homo non est prudens*. Vel demum discriminantur in forma simul, & quantitate (ibid.), ut una universalis, & affirmans sit, altera particularis, & negans; vel vice versa, universalis negans, & particularis affirmans, Contradictoriæ nuncupantur; ut: *omnis homo est prudens; aliquis homo non est prudens*; vel: *nullus homo est prudens; aliquis homo est prudens*. Cæterum etiam ratione formæ binæ enunciationes singulares ad invicem discrepantes Contradictoriæ sunt, ut: *Paulus est sapiens; Paulus non est sapiens*.

§. 161. Manifeste ex modo dictis deducitur 1., enunciationes contrarias simul veras nunquam esse posse, cum una, ut diximus (§. præc.) alteram necessario destruat; queunt tamen ambæ in *materia contigenti* falsitati subjici; ut: *omnis homo est prudens; nullus homo est prudens*. Colligitur 2., subcontrarias simul falsas esse non posse, sed si una vera est, altera falsa sit oportet; co[illegible] tamen, seu in *materia*

*ria contingenti*, queunt simul veritate fulciri, sed distributive loquendo; ut: *aliquis homo est prudens; aliquis homo non est prudens:* de facto verificatur, quod aliquis homo, puta Daniel sit prudens, & alter non. Infertur 3., quod propositiones subalternæ aut simul veræ sunt, aut simul falsæ, licet quandoque evenire possit, quod universalis enunciatio sit falsa, Particularis autem vera; ut in istis patet: *aliquis homo est prudens*, en particularis vera; *omnis homo est prudens*, en universalis falsa. Deducitur ultimo, contradictorias adsertiones nunquam simul veras, vel simul falsas esse posse, sed una vera, altera falsa sit, necesse est, cum vera contradictio, affirmatio sit, & negatio ejusdem de eodem secundum idem; & ideo quod in una contradictoriarum affirmatur, directe negatur in altera; ut: *Andreas est doctus*; *Andreas non est doctus*.

§. 162. Conversio propositionum reciproca est mutatio, sive inversio subjecti in prædicatum, & prædicati in subjectum, salva tamen illius veritate, licet quandoque enunciationis extensio, vel quantitas mutetur. Estque triplex, *simplex*, *per accidens*, & *per contrapositionem*. Simplex est, quando prædicatum fit subjectum, & subjectum prædicatum, eadem remanente propositionis quantitate, & qualitate (§. 147. 150.); ut: *nulla planta est lapis*; *nullus lapis est planta*. Per accidens dicitur, cum prædicatum vertitur in subjectum & subjectum, in prædicatum, eadem manente enunciationis qualitate, sed non quantitate; ut: *omnis planta est vivens; aliquod vivens est planta*. Per contrapositionem denique conversio habetur, quando de prædicato fit subjectum, & de subjecto prædicatum, eadem manente qualitate, & quantitate, mutatis tamen terminis finitis in infinitos, adjecta particula negativa *non*; ut: *omnis bellua est animal*, in hanc convertitur: *omne non animal est non bellua*.

§. 163. Quoad enunciationum conversionem adverten-

tendum 1., quod propositiones universales negativæ simpliciter convertuntur; ut: *nulla planta est lapis*; *nullus lapis est planta*. Simpliciter convertitur quoque particularis affirmativa; ut: *aliqua bellua est animal*; *aliquod animal est bellua*. Sciendum 2., quod universales propositiones affirmativæ, & negativæ convertuntur per accidens; ut: *omnis planta est vivens*; *aliquod vivens est planta*: *nullus homo est lapis*; *aliquis lapis non est homo*. Ulterius universalis affirmativa per contrapositionem convertitur; ut: *omnis bellua est animal*; *omne non animal est non bellua*. Simili ratione convertitur particularis negativa; ut: *aliquod animal non est rationale*: *aliquod non rationale est non animal*. Advertendum 3., quod per enunciationum conversionem mutari haud debet terminorum suppositio ( §. 69. ); sic si quis diceret: *canis est vox bisyllaba*; *vox bisyllaba est canis*, illegitimam committeret conversionem. Cavenda pariter est temporis transpositio in enunciationum conversione; sic non valet conversio hæc: *aliquis Lector fuit studens*; ergo: *aliquis studens fuit Lector*; quæ ita converti debet: ergo; *aliquis qui fuit studens*, modo est Lector. Sciendum tandem, quod attributum enunciationis, quæ conversa dicitur, integre accipi debet; sic haud tenet conversio isthæc: *Episcopi timent Summum Pontificem*: *Summus Pontifex*, ergo, *timet Episcopos*; ita ajendum est: ergo, *aliquis timens summum Pontificem*, *Episcopus est*. Verum ut traditæ conversionis regulæ facilius memoriæ hæreant, sequens distichon attendatur.

E, I *simpliciter* convertitur; E, A *per accid.*
A O *per contrap.* sic fit conversio tota.

Nimirum: Littera vocalis E significat propositionem universalem negantem; I. particolarem affirmantem; A. universalem affirmantem; & O. particularem negantem; juxta sequens:

*Asserit* A, *negat* E, sed *universaliter* ambo.
*Asserit* I, *negat* O, sed *particulariter* ambo.

Prio-

Priorum verſuum ſenſus eſt, enunciationem univerſalem negantem, & particularem affirmantem per E, & I deſignatas, converti ſimpliciter ( §. *162.* ); 2. univerſalem negantem, & affirmantem denotatas per E; & A, converti per accidens ( ibid. ); 3. propoſitionem particularem negantem, & univerſalem affirmantem per A, & O expreſſas, converti per contrapoſitionem ( ibid. ).

§. 164. Aequipollentia tandem enunciationum, conciliatio eſt oppoſitarum propoſitionum idem ſubjectum, idemque prædicatum habentium, quæ ope particulæ negativæ *non* ad eumdem ſenſum reducuntur. Particula itaque negativa *non* conciliat enunciationes contrarias, ſi alterutrius propoſitionis verbo, ſeu copulæ præponatur; ut binæ illæ: *omnis homo* &c.; *nullus homo* &c. ( §. 160. ), ſimul conciliantur, dicendo: *omnis homo eſt prudens; nullus homo non eſt prudens* Propoſitiones ſubcontrariæ nequeunt fieri æquipollentes: nam ſi negatio ſubjecto unius præponatur, ſuæ contradictoriæ æquivalebit; ſi vero una negatio præponatur ſubjecto enunciationis affirmantis, & altera ejuſdem verbo præfigatur, propoſitio ipſa evadet univerſalis affirmans, ut vel parum conſideranti ſit manifeſtum.

§. 165. Subalternæ adſertiones conciliantur etiam. ſi particula negativa *non* præponatur ſubjecto nempe, & verbo, ſic illæ: *omnis homo* &c., *aliquis homo* &c. ( § 160. ), æquipollentes redduntur, dicendo: *omnis homo eſt prudens; non aliquis homo non eſt prudens*, Contradictorias demum propoſitiones particula negativa *non* ſimul conciliat, ſi alterutrius ſubjecto præfigatur, ſic dictæ: *omnis homo* &c. *aliquis homo* &c. ( ibid. ), ſimul conciliantur, dicendo: *omnis homo eſt prudens; non aliquis homo non eſt prudens;* & vice verſa prima conciliatur cum ſecunda, ajendo: *non omnis homo eſt prudens; aliquis homo non eſt prudens* Verum de his pluſquam abunde.

CA-

# CAPUT IX.

## De Definitione, & divisione.

§. 166.

INter enunciationum species non infimum tenent fastigium *definitio* & *divisio*, quarum quanta sit utilitas, emolumentum quantum, ex magno ipsarum in scientias usu dignoscere est: *id faciam*, inquiebat Cicero de definitione loquens (*a*), *quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo, ut quid illud sit, de quo disputatur, explanetur, ne vagari, & errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint, non idem esse illud, de quo agitur, intelligant*. Et Seneca divisionis utilitatem exprimens, sic fatur (*b*): *Facilius per partes in cognitionem totius inducimur: quidquid in majus crevit, facilius agnoscitur, si discesserit in partes*. Hac inquam primæ illæ faces sunt, quæ intellectui humano in cognitionibus Disciplinarum assequendis lucem præbent, sternuntque iter. De quibus seorsim differemus.

§. 167. Quid, & quotuplex sit definitio, diximus (§. 4. 9.). Modo sit utriusque definitionis realis nempe, nominalis exemplum, sic cum dico: *Logica est scientia sermocinalis, & ratiocinatrix*, definitionem nominalem Logices consequor, explicando duntaxat græcum vocabulum *logos*: quando vero ipsam definio, quod sit *facultas illa, quæ humanum* &c. (§. 25.), realum ipsius definitionem obtineo, utpote per assentialia principia ipsam explico. Brevi hac præmissa utriusque definitionis praxi, scire juvat, definitionem nominis quam maxime differre ab illa vocabulorum declaratione, *ethymologia* a Grammaticis dicta. Per hanc siquidem illæ tantum dictiones traduntur, e quibus daiæ

(a) *Orat.* lib. 1.
(b) *Epist.* 89. (2) *Lib.* 1. *de Legib cap.* 7.

datæ rei vocabulum ortum trahit; per illam vero notio determinatur, quæ tali vocabulo eſt alligata.

§. 168. Quoad definitionem realem ſcire quoque eſt, ipſam dividi in *eſſentialem*, & *accidentalem*, prior, res per attributa eſſentialia, queis conſtant, explicat; & *phyſica* quidem eſſentialis erit, ſi per attributa phyſica exprimat; ut *Corpus eſt ſubſtantia Solida, extenſa, figurabilis* &c.; eſſentialis vero metaphyſica erit, ſi per attributa metaphyſica res explicaverit; ut *homo eſt animal rationale*. Poſterior ſecus per quædam externas qualitates, ac adventitias res deſcribit; ut cum Tullius hominem indicat (2), quod ſit *animal providum, ſagax, acutum, memor, plenum conſilii, & rationis;* vel per effectus, aut efficaciam; ut ignis elementum eſt *calefactivum, combuſtivum, illuminativum;* vel denique per accidentia, quæ ita rei conveniunt, ut poſſint ipſi non convenire; ut homo eſt *albus, doctus, prudens* &c., quæ rei *deſcriptiones* potius, quam definitiones dicuntur, ut potè per ipſa rei eſſentialia attributa palam minime fiunt, ſed illis tantum proprietates extrinſece declarantur.

§. 169. Ex modo dictis apparet manifeſte, nullam rem poſſe a nobis definiri, niſi prius nota fuerit nobis; niſi illa rei eſſentialia nobis innoteſcant attributa, quæ primo in ipſa re concipiuntur, & ſine quibus res ipſa haberi haud poteſt.

§ 170. Ut autem facilius noſcatur, num inſtitutæ de rebus definitiones reales rectæ ſint, nec ne, ad ſequentes recurrere, fas eſt, canones.

1. *Definitio rerum eſſentialis conſtet proximo genere, & ultima differentia* (§. 102 108.). Hæc namque attributa illa ſunt, quæ res immediate coſtituunt; genus quidem Entium convenientias oſtendit; differentia vero eorumdem diſconvenientias monſtrat.

2. *Definitio ſit re definita clarior*. Quod ut obtineatur, in definitionibus condendis, adhibenda ſunt vocabula perfecte nota, vel prius declarata.

3 *Definitionem definitum non ingrediatur*. Idem namque

que secus explicatur per idem, atque ignotum per æque ignotum. Cavendum ergo ne in definitionibus termini adhibeantur, ad quos res definita spectet: sic circulum describunt, qui horam definiunt: *est vigesima quarta diei pars*; diem vero: *tempus* 24. *horis constans*.

4. *Definitio sit brevior, quo fieri potest*. h. e. nec sit superflua, nec manca, sed tot contineat terminos quot res definita perfecte ab aliis distinguatur.

5. *Definitio reciproca sit cum re definita*. Scilicet, quidquid affirmatur de re definita, verificari debet etiam de definitione. Hæ, inquam notæ illæ sunt, quæ in realibus Entium definitionibus adinveniri debent Definitiones autem nominales cum arbitrariæ omnino sint (*), cumque nulla lis moveri de ipsis queat præsenti stante vocabulorum usu, ab omni lege idcirco immunes incedunt.

§. 171. Ast videamus quæso, an traditæ a nobis in decursu operis reales definitiones quinque expositis decorentur characteribus? ad examen itaque accedat definitio hominis, tradita (§. 10.): homo igitur est *animal rationale*; optima sane definitio, omnes siquidem præfatos continet canones. De facto: 1. homo prout definitur *animal*, cum belluis convenit, animalitate quoque præditis, & en proximum definitionis genus, in quantum vero dicitur *animal rationale* a belluis, ratione destitutis, differt, in quo certe ultima stat definitionis differentia. Clarior est 2. re definita: hominem enim duobus exprimit attributis essentialibus, uti sunt *animalitas*, & *rationalitas*. Non ingreditur 3. definitum; vocabula namque *animal*, & *rationale* nullam cum hominis voce convenientiam dicunt, ut cuique patet. Gaudet 4. brevitate, cum duo-

(*) *Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque, quæ nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus; quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi*. V. Horat. *Arte Poet. vers.* 70.

duobus tantum constet terminis, ceu apparet. Reciprocatur tandem cum re definita, hoc pacto: *homo est animal rationale*; *animal rationale est homo*. Omnes, ac singulas ad trutinam revocarem, ne tempus inutiliter terere scirem; verum tanquam examinatas habeto.

§. 172. A definitione ad divisionem gradum facimus. Quid divisionis nomine intelligi debeat, innuimus (§. *6.*). Modo advertendum, quod divisio totuplex est, quotuplex est totum, quod dividi potest; hinc cum totum sit præcipue quadruplex, *potentiale* nempe, *actuale*, *accidentale*, & *integrale*, quadruplex etiam est divisio. Potentialis est, qua universale quodlibet in sua inferiora dividitur, puta genus in species, species in individua; talis est divisio animalitatis in hominem, & brutum. Actualis dicitur, quæ totum in partes, ex quibus componitur, distribuit; quæ *physica*, erit, si partes physicæ fuerint; ut corporis humani alia pars est *caput*, alia *pectus*, & *artus* alia; *metaphysica* autem si partes metaphysicæ, ut *animalitas*, & *rationalitas* in homine. Accidentalis totum accidentale in suas partes dividit; estque triplex, 1. cum Entia distribuit in accidentia; ut *paries alius est niger*, *alius albus*; 2. cum secus accidentia in sua subjecta dividit; ut *bonum aliud est corporis animæ aliud*; 3. cum accidens in sua accidentia dividitur; *album* ex. gr. in *amarum*, & *dulce*. Integralis demum, totum in suas partes integrales distribuit; talis divisio corporis humani in *caput*, *brachia*, *pedes*, *nervos*, *carnem* &c.; quæ ad ejus integritatem, ac perfectionem spectant.

§. 173. Pro divisione rite formanda sequentes habentur regulæ:

1. *Divisionis partes simul sumtæ æquales sint ipsi toto*; h. e. nec illud excedant, nec ab ipso deficiant; divisio namque totum non destruere, sed distribuere debet: sic mancam committeret divisionem, qui divideret *viventem* in hominem, & brutum, omittendo

plan-

plantas, quæ ſub viventis genere continentur quoque.

2. *Diviſionis membra ad invicem ſint oppoſita*; ſcilicet una pars non includatur in altera; peccat hinc diviſio humani corporis in *caput*, *oculos*, *nares*, *aures*, *brachia*, *manus* &c. nares enim, oculi, & aures in capite; manus in brachiis continentur.

3. *Diviſio brevior ſit quoquo fieri poteſt*: ex multitudine ſiquidem partium confuſio in mente oritur.

4. *Diviſio fiat in membra proxima*, & *immediata*. Nimirum in partes illas, quæ proxime, ac immediate in toto comprehenduntur; male hinc divideretur animal in aquilam, vulpem, canem &c. bona namque diviſio eſt in *rationale*, & *irrationale*, quia rationalitas, & irrationalitas membra proxima ſunt Animalis, ut cuique pateſcit.

*Secundæ Partis Logices Finis.*

# LOGICES
## PARS TERTIA.
### De Ratiocinio, & Argumentatione.

QUum non omnes rerum notitias queat humana mens ob virium suarum imbecillitatem simplici intuitione, ceu se gerit circa prima principia, aliasque ejusmodi veritates, dignoscere, fit ut ad ipsas non judicio, sed alio itinere, *ratiocinio* nimirum, sive *discursu* pervenire cogatur. Postquam enim mens ipsa judicii ope ad objectorum externorum convenientias, vel disconvenientias noscendas, devenerit, ulterius propria vi gradiendo, ex formatis de rebus judiciis, alias inde infert, acquiritque ipsarum notiones; & hoc proprie *ratiocinari* est, sive *discurrere*: quæ ergo ad ceteris præstantiorem hanc mentis nostræ operationem maxime attinent, heic delibanda aggredimur.

### CAPUT I.

*Ratiocinii, se discursus natura aperitur.*

§. 174.

RAtiocinium, sive discursus interna illa est mentis nostræ operatio, qua ex noto, ignotum colligimus; seu ut Tullius loquitur (a): *quæ ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit.*

§. 175. Ratiocinia scilicet, seu discursus tunc a mente nostra formari dicuntur, cum ex notis, judicii ope, Entis alicujus attributis, vel proprietatibus, in



(a) *Lib. 4. qq. Academ.* cap. 8.

in aliorum notitiam ignotam super concepta reflectendo judicia, devenit: sic de *Angelis* ratiocinamur, dum ex quo judiciorum ope nobis constet, ipsos substantias esse spirituales, reflectendo insuper, quod spiritualitas immortalitatem præsefert, deducimus. Angelos immortalitate quoque donari.

§. 176. Quemadmodum judicia suas important idearum notiones (§. 120.); sic ratiocinia plura judicia in se continent; hujusmodi sunt *antecedens*, & *consequens*. Judicium illud, ex quo aliud infertur, dicitur antecedens; illud vero, quod deducitur ex alio consequens nuncupatur. Consequentia autem, seu *illatio* ipsa est consequentis ex antecedente deductio: sic hocce in ratiocinio.

*Omnis substantia spiritualis est immortalis.*
*Angelus substantia est spiritualis.*
Ergo *Angelus est immortalis.*

Bina illa judicia: *omnis substantia* &c., & *Angelus* &c. sunt antecedens; *Angelus* autem *est immortalis*, est consequens. Consequentia vero, ipsa est deductio, ly *ergo* expressa.

§. 177. Sequitur hinc, ratiocinium illud verum, ac legitimum esse, quando consequens ita in antecedente continetur, ut hoc sit veluti illius causa; si autem secus res se geret, nonnisi falsum, ac illegitimum ratiocinium obtinebitur.

## CAPUT II.

### *De Argumentationis natura, atque divisione.*

§. 178.

Quemadmodum quicquid a nobis per ideas mente concipitur, vocibus, & terminis exprimimus quicquid de percepto objecto sive affirmando, sive negando judicamus, enunciationibus palam facimus; sic ratiocinia a mente nostra formata, *argumentatione* pandimus.

dimus. Eſt propterea Argumentatio: oratio pluribus referta propoſitionibus, ſic inter ſe nexis, ut una ex aliis deducatur.

§. 179. Sicut nempe diſcurſus plura judicia complectitur (§. 176.); ita argumentatio plures continere in ſe debet enunciationes, ut infra videbimus.

§. 180. Argumentatio ex conſequentis natura ſuam capit denominationem, ita ut ſi conſequens fuerit affirmans, Argumentatio affirmativa erit; negans, negativa. Item conſequens particulare particularem, univerſale, univerſalem efficit argumentationem.

§. 181. Argumentatio affirmativa bina ſequentia admittit principia.

1. *Quæ identificantur cum uno tertio, identificantur quoque inter ſe*; ſive: *quæ ſunt eadem uni tertio, eadem ſunt inter ſe*. Sic L. M. conveniunt cum O. ergo conveniunt etiam inter ſe.

2. *Quidquid affirmatur de omnibus, affirmatur etiam de ſingulis*. Sic de omni homine affirmo rationalitatem, enuncio ipſam quoque de *Petro*, *Franciſco*, *Andrea* &c. Principum hocce nuncupatur a Scholaſticis *dictum de omni*.

§. 182. Pro argumentatione negativa etiam quæ ſequuntur ſtant principia, duobus prioribus oppoſita.

1. *Quæ non identificantur cum aliquo tertio, nec identificantur inter ſe*: ſic P. Q. non non conveniunt cum R. ergo nec inter ſe.

2. *Quidquid negatur de omnibus, negatur etiam de ſingulis*: ſic de omnibus brutis rationalitatem nego: eamdem inficior quoque de *cane*, *bove*, *equo* &c. Hoc principium, dicitur a Scholis *dictum de nullo*.

§. 183. Quoad illationem ſeu conſequentiam ſcire juvat, ipſam eſſe *materialem*, vel *formalem*. Formalis quidem, cum conſequens, ceu effectus a ſua cauſa ex antecedente deducitur; ſic ſe habet ſequens:

*Omnis bellua eſt irrationalis.*
*Canis eſt bellua.*
Ergo *Canis eſt irrationalis.*

Materialis vero secus, habetur, cum consequens non ita ex antecedente sequitur, ut ex hoc illius veritas deducatur; ut ex sequenti patet:

*Canis est bellua.*
Sed *Canis est irrationalis.*
Ergo *omnis bellua est irrationalis.*

Veritas namque consequentis non ex antecedente, sed ratione *materiæ necessariæ*, in qua dicta est argumentatio, infertur, cum non posset aliquis canis irrationalitate fulciri, ne cuilibet belluæ ipsa quoque competat. Ceterum ut in argumentationibus formalis illatio semper noscatur, & a materiali distinguatur, sequentes attendatur canones:

1. *Illatio formalis est, ideoque optima, cum ex antecedente vero, verum habetur consequens; & ex falso, falsum.* Cum namque consequens ad instar effectus se habet respectu antecedentis, quod illius est causa (§. 176.), optime est illatio, si ex antecedente vero, verum, falso, falsum infertur consequens.

2. *illatio est optima, si ex contradictorio antecedentis, habeatur contradictorium consequentis.* Si enim ex vero, nonnisi verum, ex falso nonnisi falsum per 1., ex contradictorio pariter antecedente, nonnisi contradictorium consequens inferri debet.

§. 184. Argumentationis septem numerantur species, *Syllogismus* nempe, *Enthymema*, *Epichirema*, *Dilemma*, *Sorites*, *Inductio*, & *Exemplum*. De his seorsim agemus.

## CAPUT III.

### *De Syllogismi natura, figuris, ac nonnullis modis recte concludentibus.*

§. 185.

SYllogismus secundum græci idiomatis etymologiam colloquium unius cum alio, seu collectio unius ex

ex alio, audit. Juxta naturam vero definitur: argumentatio tres complectens propositiones tribus terminis compositas, taliter inter se nexas, ut ex duabus prioribus, tertia enunciatio ceu effectus a sua causa ritè deducatur.

§. 186. Tres nimirum propositiones, totidemque terminos complecti debet syllogismus, quia cum argumentationis natura posita in eo sit, quod ex binarum idearum convenientia cum tertia, inferatur earumdem convenientia inter se (§. 166. & seq.), manifeste patet, tres propositiones tribus terminis compositas in perfecta argumentatione, cujus syllogismus species est, necessario requiri. Sic hocce in syllogismo, vel huic simili.

*Omnis homo est mortalis.*
*Marcus est homo.*
Ergo *Marcus est mortalis.*

Tres enunciationes, tresque termini reperiuntur. Prima propositio, h. e. *omnis homo* &c., dicitur *major*; secunda, scilicet *Marcus* &c., vocatur *minor*; tertia, nimirum *Ergo Marcus* &c. *conclusio* audit. Major, & minor propositio simul considerata, *præmissæ* nuncupantur; ea autem, quæ ex illis deducitur, earumdem *illatio*, seu conclusio salutatur. Sunt quoque in eodem tres termini, 1. est *homo* 2. *mortalis*, 3. Marcus. Terminus, qui bis in præmissis recurrit, ut *homo*, *medium*, seu *medius terminus* dicitur, reliqui vero, *extrema* nuncupantur; terminus nempe, qui prædicatur in majore, ut *mortalis*, *majus extremum* audit; alter vero, qui subjicitur in minore, ut *Marcus minus* extremum nominatur; connexio tandem conclusionis cum præmissis, *consequentia* dicitur.

§. 187. Syllogismus duplex est, *simplex*, & *compositus*. Simplex, qui & *categoricus* vocatur etiam, tribus simplicibus propositionibus, totidemque terminis perficitur; ut:

*Omnis planta est vivens.*
*Populus est planta.*

Ergo *populus est vivens*.

Compositus è contra est, cujus una præmissarum, major utplurimum composita est: ut:

*Deus si sanctus est, est quoque justus*.
Sed *Deus sanctus est*.
Ergo *est etiam justus*.

§. 188. Syllogismus simplex dividitur in *expositorum*, & *determino communi*. Prior, singularibus enunciationibus constat; ut:

*Homo mendax est filius Diaboli*.
*Hic homo est mendax*.
Ergo *hic homo est filius Diaboli*.

Posterior est ille, cujus utraque, vel alterutra præmissarum est propositio universalis; ut:

*Omnes Avari pecuniæ inserviunt*.
*Complures homines sunt avari*.
Ergo *complures homines pecuniæ inserviunt*.

Syllogismus compositus suas quoque habent species, de quibus infrà.

§. 189. Quoad Syllogismum simplicem, sciendum modò, quod duo potissimum in ipso consideranda veniunt, *materia* nempe, & *forma*. Materia Syllogismi est vel *proxima*, vel *remota*, proxima sunt propositiones, remota termini. Forma autem Syllogismi simplicis vel materiam proximam respicit, & dicitur Syllogismi *modus*; vel respicit materiam remotam, & vocitatur *figura* Syllogismi. Modus syllogisticus rectè est enunciationum secundum earum universalitatem, particolaritatem, affirmationem, & negationem combinatio. Figura verò syllogistica apta est dispositio medii termini extremis in præmissis.

§. 190. Figura itaque syllogistica totuplex est, quotuplex est modus, quo medium cum extremis jungi potest; modus autem est quatruplex, sic etiam se habet figura syllogismi. Prima medium habet, quod locum subjecti occupat in majore, & prædicat in minore enunciatione; ut:

*Omnis homo est rationalis*.

Ti-

*Titius est homo.*

Ergo *Titius est rationalis.*

Hocce in syllogismo *homo* est medius terminus, qui ut patescit, subjicitur in majore, & prædicatur in minore.

§. 191. Secunda figura illa est, cujus medius terminus rationem habet prædicati in utraque præmissa; ut:

*Omnis homo est rationalis.*

*Nullus bos est rationalis.*

Ergo *nullus bos est homo.*

Medium hujus figurare, quod bis in præmissis prædicatur est *rationalis*, ut cuique patet.

§. 192. Tertia dicitur, in qua medium in utraque præmissarum subjecti rationem obtinet; ut:

*Omnis homo est creatura.*

*Omni homo est animal.*

Ergo *aliquod animal est creatura.*

§. 193. Quarta demum, medium habet, quod prædicatur in majore, & subjicitur in minore; ut:

*Omnis planta est vivens.*

*Omne vivens est substantia.*

Ergo *aliqua substantia est vivens.*

Tres dictæ priores figuræ, ut facilius memoriæ hæreant, hocce includuntur disticho:

*Prima* modo subjicit medium, modo prædicat ipsum;

Prædicat *altera* bis, *tertia* bis subjicit.

Ultima verò, *Galenica* dicta, a famosissimo Medico Galeno vel inventa, vel frequentius adhibita, ceu inutilis rejicitur, utpote cum prima convenit, per inversionem nempe majoris in minorem, & vice versa minoris in majorem.

§. 194. Variæ sunt regulæ illæ, quæ ad syllogismorum consistentiam statuuntur a Logicis tam in communi, quam in particulari. Canones in communi sunt sequentes:

1. *Syllogismus cujuscunque figuræ tres terminos tan-*

*tantum complecti debet*, *quacunque ipsorum dempta amphibologia*, *æquivocatione &c.* Nam ut supra diximus (§. 181.), tota syllogista ars sita in hoc est, ut duo termini inter se identificentur ex eo, quod identificati fuerint cum uno tertio; sic vitiosè arguitur:

*Omnis canis est latrobilis.*
*Stella est canis.*
Ergo *stella est latrabilis.*

Vox enim *canis* cum duplicem habeat sensum, duobus æquivalet terminis, quibus addendo *latrabilis*, & *stella*, quatuor, non tres in dicto syllogismo dantur termini.

2. *Medius syllogismi terminus particulariter non est sumendus in utraque præmissa*, *sed distribuendus est; sic malè diceretur:*

*Aliquod animal est rationale.*
*Bos est aliquod animal.*
Ergo *bos est rationalis.*

Medium siquidem, quando in una præmissarum distributum non est, fieri potest, ut utraque præmissa diversam ideam importent, & per consequens plures, quam tres terminos admittant, quod adversatur reg. 1.

3. *Medius terminus non distributus in præmissi*, *distribui nequit in conclusione; sic malè infertur.*

*Omnis homo est animal.*
*Nullus bos est homo.*
Ergo *nullus bos est animal.*

Ratio est, quia variatur suppositio, utpotè vox *animal*, quæ indefinitè, & confusè in majore accipitur, in consequentia distributivè supponitur.

4. *Ex meris enunciationibus negativis nil infertur*; ut:

*Nullus bos est rationalis.*
*Nullus homo est bos.*
Ergo *nullus homo est rationalis.*

Nequit enim ex negativis præmissis, conclusio affirmativa deduci, ratione comparationis binarum idearum cum tertia, & inter se (§ 182.)

5. *Ex binis præmissis particularibus, nihil sequitur*; ut:

*Ali-*

*Aliquod animal est rationale.*
*Aliquod animal est irrationale.*
Ergo *aliquod ratoinale est irrationale.*

6. *Conclusio nequit esse affirmativa, si utraque præmissarum sit negativa; neque potest esse negativa, si alterutra præmissarum sit affirmativa.* Patet ex argumentationis principiis ( §. 180. )

§. 195. Ex traditis regulis satis apertè patet, conclusionem semper sequi debiliorem præmissarum partem, h. e. negans erit, si alterutra præmissarum fuerit negativa; erit autem particularis si particularis quoque fuerit præmissarum alterutra,

§. 196. Regulæ vero figuras syllogismi in particulari respicientes, sequentibus includuntur versibus:

1. *Sit minor affirmans, major verò generalis.*
2. *Una negans esto, nec major sit specialis.*
3. *Sit minor affirmans, conclusio particularis.*
4. *Major ubi affirmat, generalem sume minorem;*
*Si minor affirmat, conclusio sit specialis;*
*Cumque negans modus est, major generalis habetur.*

Videlicet: primæ figuræ syllogismi ( § 190. ) minor propositio affirmans esse debet, quia si negans foret, conclusio, quæ debiliori semper innititur parti ( § præc. ), negativa quoque deberet esse; cumque autem ex meris negativis nil sequatur ( reg. 4. ), major affirmativa esse deberet; ideoque medius terminus universaliter sumeretur in conclusione negativa, quam in major affirmante, quod est contrà reg. 3. Major autem propositio debet esse universalis, quia si particularis feret, medium, quod illius subjectum est, particulare esset; adeoque particulare feret etiam in minore affirmate, cujus est prædicatum, ac per conseques ambæ præmissæ particulares essent, ex quibus nil inferri posset ( reg. 5. ).

§. 197. Secunda figura duas regulas habet, 1. quod una ex præmissis sint negativa, quia cum medium in utraque præmissa prædicetur ( § 191. ), si secus res se haberet, medium bis particulariter acciperetur, si ambæ

ambe affirmantes forent, quod reg. 2. adversatur: 2. est, quod major non sit particularis, quia majus extremum, quod illius est subjectum in ipsa particulariter sumeretur, universaliter verò in conclusione negante.

§. 198. Tertia has consequitur leges, 1. quod minor sit affirmativa, eadem ratione, qua minor affirmas est in primá figura, 2. quod conclusio sit particularis, quia cum minor sit affirmativa, si conclusio universalis esset, in illa distribueretur prædicatum, quod distributum non erat in minore.

§. 199. Pro quarta demum figura tres stant canones, 1 quod quando major enunciatio est affirmativa, minor sit universalis, quia cum medium in majore armante, cujus prædicatum est (§ 193.) particulariter accipiatur, ne peculiariter sumatur quoque in minore, cujus est subjectum, minor universalis esse debet per 2. reg.; 2. est, quod si minor est affirmativa, conclusio debet esse particularis; nam majus extremum cum particulariter in majore affirmante sumatur, cujus est prædicatum, particulariter quoque in conclusione, cujus subjectum est, accipi debet (§ 195.); 3. tandem, quod si modus negans est, h. e. si majus extremum universaliter in conclusione negante sumatur, universaliter debet quoque accipi in majore, cujus est subjectum, adeoque illam universalem efficere.

§. 200. Quid sit modus syllogismi, diximus (§. 189.). Nunc quatuor duntaxat modos * recte concludentes recenceamus ad primam figuram spectantes; hujusmodi sunt BArbArA, SCElArEnt; DArII, FErIO, in quibus vocabulis littera A significat propositionem uni-

* 64. modi syllogismi adsignantur, quorum quantum sit vitium, ex illorum consideratione deprehendet; simulque noscet quatuor solum pro prima figura rectè concludere. Qui hæc desiderat, adeat *Auctorem Art. cogit. pag.* 148.; *de Brixia* pag. 135.; *Corsini* pag. 229.

universalem affirmantem, E universalem negantem, I particularem affirmantem, O particularem negantem, juxtà versiculos illos.

Asserit A, negat E, sed universaliter ambo.

Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

Pro quibus modis illustrandis, sequentia attendantur exempla:

I.

BAr *Omnes homines sunt mortales.*

bA *Omnes Principes sunt homines.*

rA Ergo *omnes Principes sunt mortales.*

Dicto in vocabulo *Barbara* tres AAA. continentur; ideoque tres propositiones universales affirmantes complecti debet, ut patet.

II.

CE *Nullus animal est planta.*

IA *Omnis homo est animal.*

rEnt. Ergo *nullus homo est planta.*

III.

DA *Qui liberalis est, multos habet Amicos.*

tI *Nonnulli homines sunt liberales.*

I Ergo *nonnulli homines multos Amicos habent.*

IV.

FE *Nulla arbor est lapis.*

rI *Aliquod vivens est arbor.*

O Ergo *aliquod vivens non est arbor.*

§. 201. Omnes, & singulæ hactenus traditæ syllogismorum regulæ, ne in syllogizando menti sint confusionis potius, quam adjumenti, cum difficile sit omnes, & singulas præ oculis habere, valde idcirco utile est, ut mens in syllogismorum formatione huic sequenti generali principio, quod veluti fundamentum est, cui recensitæ omnes innituntur regulæ, attendat est opus: in omni scilicet syllogismo curandum, ut *una præmissarum conclusionem contineat, & altera palam faciat, conclusionem in illa contineri*: principii hujus ratio est, quia cum conclusio ceu effectus a sua causa deducatur, necessum idcirco est, ut una præ-

præmissarum conclusionem ipsam comprehendat, juxtà illud; *Premissa debent contineri conclusionem :* propositio autem illa, quæ conclusionem continet, enunciatio *continens ;* altera vero, quod id ostendit, *exponens*; sive *applicans* nuncupatur : sic ut syllogismo probem, huic tantum innixus principio, ingratum beneficia accepta in odium habere; sic incedere debeo.

*Omnis ingratus odit beneficia accepta.*
*Aliqui homines odunt beneficie accepta.*
*Aliqui homines*, ergo, *sunt ingrati*.

## CAPUT IV.

### *De Syllogismo Composito.*

§. 202.

QUid sit syllogismus compositus, innuimus (§. 187.), modò sciendum, ipsum dividi in *hypotheticum disjunctivum*, & *copulativum :* Primus, qui *conditionalis* dicitur etiam, est, qui majore constat composita conditionali, vel affirmante, ut:

*Si Deus est bonus, diligendus est.*
Atqui *Deus est bonus.*
Ergo *Deus est diligendus.*

vel negante, ut:

*Si sol non lucet, dies non est.*
Atqui *sol non lucet.*
Ergo *dies non est.*

Prior syllogismus affimans huic hæret principio : *Posito antecedente, ponitur consequens ;* seu *verum est antecedens: ergo & consequens*. Posterior negans secus huic altero innititur : *Sublato antecedente, consequens aufertur ;* sive *falsum est antecedens : ergo & consequens*. Tota igitur syllogismorum conditionalium vis in connexione sita est antecedentis cum consequente, taliter ut hac ablata, nil syllogismus conditionalis foret.

§. 203.

§. 203. Disjunctivus est ille, cujus major propositio disjunctiva est, h. e. cujus partes per particulas disjunctivas *vel*, *aut*, cohærent; ut:

*Titius aut amat, aut odit.*
*Non odit.*
Ergo *amat.*

Syllogismus hujusmodi falsitati subjicitur, quando ejus partes revera disjunctivæ non sunt, sed aliquod admittunt medium, unde utraque præmissa vera esse possit, ut:

*Petrus aut dormit, aut scribit.*
*Non dormit.*
Ergo *scribit.*

Siquidem inter *dormire*, & *scribere* datur medium, nempe *ambulare*, *sedere*, *manducare* &c.

§. 204. Copulativus demum syllogismus majore copulativa constat, tali lege distributa, ut una ipsius pars affirmetur in minore, & altera in conclusione negatur, ut:

*Nemo potest duobus dominis servire, Deo, & mammonæ.*
*Avarus servit mammonæ.*
*Non servit* ergo *Deo.*

## CAPUT V.

### *Reliquæ Argumentationis species exponuntur.*

NOn solum syllogismus in ratiocinando est menti subsidii, sed sunt ejusmodi quoque reliquæ argumentationis species, quæ sequuntur:

*Enthymena.*

§. 205. Syllogismus imperfectus, sive truncatus Enthymena dicitur, eo quia argumentatio est duabus tantum fulcita propositionibus, tertiaque, utpote in illis inclusa, reticetur: unde prima *antecedens*, *consequens* altera dicitur; ut:

*Paulus est homo.*
Ergo *est mortalis.*

minor

minor propositio, nempe : sed *omnis homo est mortalis* continetur in ipsis , & brevitatis ergo reticetur, ut constat : enthymema igitur licet in se truncatus syllogismus sit , in mente tamen perfectus , completusque est.

*Epichirema.*

§. 206. Definitur communiter Epichirema : syllogismus, cujus alterutri , vel etiam utrique præmissæ sua probatio nectitur ; ut :

*Omne quod operatur , existit : nam operari supponit esse.*

*Sed corpora operantur , ambulant nempe , moventur*, &c.

Ergo *corpora existunt.*

*Dilemma.*

§. 207. Argumentatio cornuta Dilemma vocatur, utpotè duabus propositionibus disjunctivis , simulque in antecedente oppositis , constat , queis mediis sic Adversarius perstringitur, ut vel quod negat, admittat ; vel incommodum aliquod patiatur est opus. Sic nolentes offensoribus dare veniam constringere solitum fuisse Senecam, traditur.

*Aut a potente læsus fuisti, aut ab infirmo :*

*Si ab infirmo ; ipsi igitur parcas : si a potente, tibi ipsi parcas :*

*Offensoribus*, ergo, concludebat, *parcendum est.*

§. 208. Diligentissimè heis observandum, ut hacce in construenda argumentatione binæ partes conclusioni inservientes, ad invicem , quantum fieri potest, sint oppositæ, nullumque inter illas relinquatur medium, cui Adversarius possit inniti. Sic haud subsistit illud Novatorum dilemma : *Vel peccatum veniale est offensa Dei , vel non : si hoc secundum : nullam* ergo *meretur poenam ; si primum : igitur pro poena merebitur infernum ;* non inquam dilemma hoc subsistat : quis enim haud noscit , peccatum veniale esse quidem Dei offensam , sed levem , & inter poenas peccato debitas, adesse poenas temporales , queis vel in-

in hac, vel in futura vita pro levibus culpis Divinæ Justitiæ satisfiet? Si dilemma insuper plures, quam binas amplectatur partes disjunctivas in alias, & alias subdividendas propositiones, quibus tamen semper aliquid contrà Adversarium inferatur, dilemma complexum dicitur; hujusmodi est illud Gellii (*a*) adversus Genethliacos sic arguentis: „ Genethliaci aut „ adversa ventura dicunt, aut prospera: si dicunt pro- „ spera, & fallunt, miser fies frustra expectando: si „ adversa dicunt, & mentiuntur, miser timendo. Si „ vera respondent, eaque non sunt prospera, jam inde „ animo miser fies, antequam fato fias; si felicia „ promittunt, eaque eventura sunt, tum plane duo „ erunt incommoda; & expectatio te spei suspensum „ fatigabit, & futurum gaudii fructum spes tibi jam „ deflorabit. Nullo igitur pacto utendum est istiusmodi hominibus res futuras præsagientibus.

*Sorites.*

§. 209. Est Sorites argumentatio pluribus, quam tribus fulcita propositionibus, sic inter se dispositis, ut prædicatum præcedentis evadat subjectum subsequentis, donec ad illationem deveniatur, ut:

*Amor venitatum parit pigritiam.*
*Pigritia parit ignorantiam.*
*Ignorantia parit pertinaciam.*
*Pertinaciu parit damnationem.*

*Inductio.*

§. 210. Inductio definitur ab Aristotele a *singularibus ad universalia progressio*; sive est argumentatio, qua ex recta particularium numeratione, universale inde consequens infertur; ut: *Fabius est rationalis*, *Cajus est rationalis*, *Titius est rationalis*: ergo *omnis homo est rationalis*.

§. 211. Ut autem Inductio rectè semper concludat, advertere est quod ejus præmissæ sint in materia necessaria, non contingenti: sic si quis diceret: *Petro-*

(a) Lib. 14. cap. 1.

*Petronius est prudens* ; *Paulus est prudens* , *Petrus est prudens*: ergo *omnes homines sunt prudentes* , vitiosam , falsamque committeret inductionem , quia cum prudentia sit accidentalis , nequit necessariò de cunctis prædicari hominibus.

*Exemplum.*

§. 212. Postremò exemplum argumentatio definitur, in qua uno singulari , aliud singulare illi simile infertur per similitudinem ; ut : *Christus Dominus Divo Augustino* , *& S. Mariæ Magdalenæ peccatorum suorum poenitentiam agentibus* , *veniam dedit*: ergo *mihi quoque peccatorum meorum poenitentiam agenti*, *veniam donabit*. Hujusmodi argumentatio quando circum duo singularia in materia necessaria versatur, necessariò etiam, vereque semper concludit ; nonnisi autem probabiliter, si quæ referuntur in materia sint contingenti. Quum insuper hujusmodi duo singularia in omnibus ad invicem conveniunt , Exemplum dicitur *argumentatio a pari*; ut : *Petrus quia est homo*, *percipit* , *judicat* , *ratiocinatur*: ergo *Paulus quia est homo* , *similia præstat* . Quando dicta duo singularia non omnimodè , & totaliter , sed aliqua tantum ratione ad invicem conveniunt , Exemplum vocatur *argumentatio a simili ; ut : quia tibi claudicat* , *cadit faciliter:* ergo *qui perversè animo procedit* , *faciliter in peccatum cadit :* unde argumentatio a pari, ad exemplum in materia necessaria ; a simili verò ad exemplum in materia contingenti a nonnullis refertur merito.

§. 213. Ad exemplum referuntur *parabola* , & *apologus*. Parabola habetur , si factum quod assumitur, possibile , & verisimile sit , licet non contingerit. Apologus autem secus, si factum repugnans, ac impossibile sit , ut in fabulis evenit , in quibus res inanimatæ inter se loquentes inducuntur.

CA-

# CAPUT VI.

*De Demonstrationis natura, & divisione; ubi loci topici recensentur.*

§. 214.

HActenus, & quidem abunde de ratiocinii, & argumentationis natura peregimus. Nunc demonstratione, & locis topicis, seu dialecticis, ex quibus demonstratio ipsa, seu potius *argumenti inventio* sumi assolet, disseremus. Est itaque *demonstratio*: oratio quædam, qua propositio quælibet per se inevidens, ac abscura, clara, evidensque per alias enunciationes, seu potius argumentationes redditur. Estque multiplex, *a priori* scilicet, *a posteriori*, *directa*, *indirecta*, & *probabilis*.

§. 215. Demonstratio a priori, quæ etiam *propter quid* a scholis dicitur, illa est, quæ posterius per prius, h. e. effectum per suam causam, rei proprietatem per suam essentiam, ostendit. E converso se habet demonstratio a posteriori, utpotè prius per posterius, causam nempe per suum effectum, rei essentiam per suas proprietates monstrat. Directa, quæ & *ostensiva* dicitur, res ex intima ipsarum natura, ac essentia manifestat. Indirecta verò secus per absurda, quæ sequerentur, si data res inficiaretur, demonstrat. Probabilis demum, probabiliter tantum propositionem aliquam expromit; ideoque *opinionem* tantum efficit, h. e. cognitionem non adeo claram, atque perspicuam, ut mens suspicari nequeat, an res demonstrata tali modo se habeat, nec ne, prout demonstratio probabilis concludit.

§. 216. Colligendum ex dictis est, enunciationes, vel argumentationes demonstrationem constituentes, evidentiores debere esse propositionibus, seu rebus ipsis, quæ demonstrantur; secus enim in obscurum semper esset incedendum; & nunquam rerum veritas in lu-

cem prodiret, ut per se patet.

§. 217. Innumeri sunt loci illi universales, sive topici, quos Dialectici statuunt, ex quibus cujuscunque rei demonstratio Sumi possit, quos idcircò *Argumentorum sedes* dicunt etiam. Nos universaliores exponemus, & quidem ea, qua incepimus, brevitate. Primus itaque locus nuncupatur.

1. *Ab ethymologia nominis*, ut: Philosophus dicitur a Sapientiæ amore: ergo sapientiam amet.

2. *A definitione*, ut: Tigris non est animal rationale: ergo nec homo.

3. *A divisione*, ut: Gigantes nec reperiuntur in Europa, nec in Africa, nec in America: ergo nec in Mundo.

4. *A Genere, & Specie*, ut: Planta non est animal: ergo nec sensitiva. Vel: Paulus est homo: ergo etiam animal.

5. *A proprio*, ut: Titius est risibilis: ergo est homo.

6. *A causa*: *effectu*; a causa quidem *materiali*: ut Petronius nec calamum, nec chartam habet: ergo nec scribit. A *formali*, ut; Tigris destituitur anima rationali: ergo non est homo. Ab *efficiente*, ut: Faber perfectus est: ergo ejus opera perfecta sunt. A *finali*, ut: Justitiæ finis bonus est: ergo & justitia bona est.

7. *A contrario*, ut: rumor turbat mentem: ergo quies juvat:

8. *A simili*, ut: famulus servit Domino: ergo & Dominus Deo.

9. *Ab Auctoritate*, ut: Christus dixit: væ homini illi, per quem scandalum venit: ergo scandalosi acerrime punientur. Circa hos omnes sequentia prodita axiomata.

1. *Circa ethymologiam nominis*.

Cui convenit definitio nominis, convenit et nomen ipsum.

Cui non convenit ethymologia, nomen ipsum non convenit.

2. *Cir-*

2. *Circa definitionem.*

Quod convenit definitio, convenit etiam definitioni, & vicissim.

Quod removetur a definitio, removetur quoque a definitione.

3. *Circa divisionem.*

Positis omnibus partibus, ponitur totum.

Sublata quacunque parte, tollitur totum.

Posito toto, ponuntur omnes partes.

Totum est majus sua parte.

4. *Circa Genus, & Speciem.*

A quo removetur genus, removetur & species.

Quod convenit generi, convenit & speciei, sed non vicissim.

5. *Circa Proprium.*

Proprietates naturam sequuntur.

Proprietates naturam arguunt.

6. *Circa causas, & effectus.*

Posita causa, ponitur effectus.

Sublata causa, effectus tollitur.

Qualis est causa, talis est effectus.

Quod est causa causæ, est etiam causa causati.

Causa nobilior est suo effectu.

Causa est prior suo effectu.

Causa, & effectus simul sunt.

Posito effectu ponitur causa.

Cujus generatio bona est, ipsum quoque bonum est.

7. *Circa Contraria.*

Contrarium contrariæ sunt causæ.

Contraria non sunt ejusdem speciei.

Unum uni tantum est contrarium.

Contrariorum eadem est ratio, seu scientia.

Posito uno contrariorum, tollitur alterum.

Contraria versantur circa idem subjectum.

8. *Circa simile.*

Similium eadem est ratio, idem judicium.

Dissimilibus conveniunt dissimilia.

Omnis similitudo claudicat.

Simile fimili gaudet.
Similium facilis eſt congregatio.

*9. Circa Auctoritatem.*

Cuique perito in ſua arte credendum.
Quod omnibus, vel pluribus, vel ſapientibus videtur, probabile eſt, nec ſine gravi cauſa a communi, aut Sapientum judicio recedendum.
In uſu verborum ſequenda eſt conſuetudo.
Quidquid a Deo revelatur, certum eſt, ac infalilbile.
Quidquid ab antiquis, probatis, ſinceris, genuinis hiſtoriis, lapidibus, nummis, monumentis deducitur, eſt certum.
Et hoc de his dixiſſe ſit ſatis.

## CAPUT VII.

### *De Argumentationum fallaciis, ſive ſophiſmatibus.*

§. 218.

Utinam in judicando tantum fallerent homines! innumeri enim quoque ſunt errores illi, *ſophiſmata*, ſive *paralogiſmi* dicti, queis ratiocinia noſtra labefactari ſolent. Eſt autem ſophiſma: argumentatio extrinſecè, & apparenter vera, intrinſecè tamen falſa. Nomen iſtud *ſophiſma* a ſuis Patronis, *Sophiſticis* dictis, originem noſcit, quorum vel ipſas evidentiſſimas veritates, obſcuritate, errorumque tenebris ſuffundere eſt proprium, omnibus quoque contradicere, ad abſurda, & paradoxa ſuis cavillationibus perducere. Fiunt inſuper hujuſmodi paralogiſmi duobus modis, 1. per fallaciam *vocum*, 2. per fallaciam *formæ*. Prior fallacia ex pravo, atque vitioſo naſcitur vocum uſu, eſtque quadruplex, *æquivocationis* nempe, *amphibologiæ*, *accentus*, & *dictionis*.

§. 219. Æquivocatio habetur, cum ambigua, vel æquivoca vox uſurpatur, quæ res omnino diverſas, ac accipitur, indicare poteſt; ut: *Canis latrat: ſy-*

*dus*

*dus est canis: ergo sydus latrat*. Amphibologia est, cum singulæ voces sunt quidem in se perspicuæ, sed simul sumtæ phrasim dubiam formant, ut illud Terentii (*a*):

*Ajo te, Æacida, Romanos vincere posse.*
*Omnes nurus socrus oderunt.*

§. 220. Accentus fallacia committitur, quando varia abutimur syllabarum quantitate; h. e. aliquam vocem adhibemus, quæ juxta diversos accentus, diversa prodit; ut cum *populus* voce utimur, quæ inanimatum objectum indicat, ad populum, h. e. hominum coetum monstrandum. Fallacia tandem dictionis est illa, qua regulis Grammaticæ utimur ad judicium aliquod, sive conceptum occultandum: sic se gessit Stiplo, qui Minervam Deum esse inficians, in judicium ceu violatæ religionis fons accitus, simulque ab Areopagitis quæsitus: cur id præstitisset? *Non enim*, respondit, *Minervam Deum esse, sed Deam; Deos quippe mares esse* (*b*).

§. 221. Posterior, seu fallacia formæ contra syllogismi formam committitur; quæque duplici potissimum ex fonte enasci videtur, ab *intellectu* nimirum, & *voluntate*.

§. 222. Primum intellectus sophisma a Scholasticis *ignoratio elenchi* nuncupatur; h. e. ignoratio ejus, quod contrà Adversarium probandum est; unde non intellecto vero, ac legitimo controversiæ sensu, aliquid probatur, quod nec Adversarius ipse inficias it, nec ad propositam spectat quæstionem. Frequenter autem sophisma hujusmodi in publicis signatim occurrit concertationibus: „ adeo enim inter disputan-„ dum incalescimus, ut sæpe numero alter alterum „ non intelligamus. Ex animi perturbatione, ex „ mala fraude adversariis ea adfingimus, quæ sunt „ ab eorum sensu alienissima, quo possimus illos fa-

 cilius,

(a) *In Hec Act. Scent.*
(b) Laert. 2. *seg.* 116.

„ cilius, plausibiliusque conterere; vel iisdem conse-
„ quutiones adscribimus, quas ab eorum placitis inepté remur deducibiles, quamvis has illi rejiciant, „ & pernegent „ (*a*). Hocce insuper vitio laborant ii onnes, qui contrà Newtonianum attractionem differentes, ceu proprietatem occultam refellunt, cum a Newtono non pro causa, sed pro phænomeno, universali utique, Sumatur.

§. 223. Secundum sophisma vocatur a Scholis *petitio principii*, & habetur, cum id quod controvertitur, quando probari deberet, tanquam certum sumitur, vel supponitur. Fallaciam hanc patrant qui interrogati: num corpus A sit grave? reponunt utique, quia libere relictum ruit deorsum; & quare id præstat? quia, respondent, est grave. Hoc arguendi genus *circulus vitiosus* a scholis dicitur etiam, quia nempe eo redit argumentatio, quo digressa primo fuit; nec non & a Grecis *pistilli versatio*, quia pistillum dum circumagitur, eo redit, unde discessit.

§. 224. Tertium vocitatur *non causa pro causa*, quando scilicet pro rei alicujus vera causa, ponitur id, quod datæ rei causa non est; ut cum quis humana infortunia in Cometas refert, qui non magis horum causa esse possunt, quam Planetæ reliqui. Dupliciter autem sophisma hocce contingere videtur, 1. ex mentis præcipitatione, dum nempe ipsa rei alicujus veram nesciendo causam, illam tamen vult determinare. Hujusmodi vitium apud imperitos præsertim est, quos sic Tullius arguit (*b*): *nec me pudet, ut istos, fateri nescire, quod nesciam*. 2. oriri solet ex vanagloria, atque superbia, qua factum est „
„ ut res, prout par erat, nondum expensas, per-
„ spectas tamen habere videri voluerint (nonnulli)
„ ea, inquam, superbia passim eos adduxit, ut eas
„ causas esse dicerent quarumdam rerum, antequam
„ hoc

---

(a) Auctor Art. cogit. *Part.* III. *cap.* 19.
(b) *Tuscul.* I.

„ hoc satis constaret, ne viderentur aliquid ignorare.
„ Sed oh deplorabilis dementia! quam melius fuisset
„ propriam ingenue inscitiam non erubescere, eamque candidè confiteri! (a).

§. 225. Quartum audit ab *imperfecta enumeratione*; fitque cum ex pluribus, variisque causis, quibus res aliqua evenire potuerat, aliquibus duntaxat numeratis, deducunt nonnulli, datam rem e xiis revera pervenisse, ut patet ex adducto (§. præc.) Cometarum exemplo.

§. 226. Quintum vocatur sophisma *accidentis*, & habetur, cum de re aliqua simpliciter, absolutè, & universaliter id prædicatur, quod nonnisi per accidens illi convenit. In hoc vitium miserrimè labuntur, quotquot autumant, studium absolutè hominibus nocumenti esse, ex quo per accidens quibusdam nocuerit; ceu & exitiosi homines illi, Novatores dicti, qui Ecclesiæ Romanæ ritus ex eo labefactari opinantur; ex quo nonnulli in illos abusus irrepserint; ast considerent isti, quod Auctor quidam ad Herennium scripsit (b):„ Vitiosum est artem, aut scientiam,
„ aut studium quodpiam vituperare propter eorum
„ vitia, qui in eo studio sunt, veluti qui Rethori-
„ cam vituperant propter alicujus Oratoris vitupe-
„ randam vitam.

§. 227. Sextum dicitur sophisma *compositionis*, vel *divisionis*; h. e. argumentari *a sensu diviso ad compositum*; vel secus *a sensu composito ad divisum*. Primo modo peccant, qui contendunt, visionem, & cæcitatem posse in eodem subjecto componi, ex quo in Evangelio legatur: *cæci vident*, *claudi ambulant* &c. Secundo modo fallunt, qui ea dividunt, quæ dividenda non sunt, ut si quis dicat, 9. numerum esse parem, atque imparem, eo quod 4., & 5. ipsum componant; 4. sunt paria, & 5. imparia.

§. 228. Septimum nominatur *a dicto secundum quid*, *ad*



(a) Joan. Cleric. *Part. IV. Log.* cap. 8. n. 3.
(b) *Lib.* 2. cap. 27.

*ad dictum simpliciter*; vel viciſſim, *a dicto simpliciter*, *ad dictum secundum quid*, quando nempe ex aliqua peculiari rei alicujus proprietate, vel affirmativè, vel negativè aliquis deſcendit; ut ſi quis dicat: *qui albus eſt*, *non eſt niger*: *ſed Æthiops in dentibus albus eſt*: *ergo Æthiops non eſt niger*. E converſo intelligenda venit altera fallaciæ hujuſce pars.

§. 229. Octavum nuncupatur fallacia *converſionis*, ſeu *conſequentis*; cum ſcilicet enunciatio illa ſimpliciter convertitur, quæ converti nequit; ut ſi quis dicat: *omnis homo eſt vivens*: *ergo omne vivens eſt homo*, peccaret ſophiſmate dicto.

§. 230. Nonum tantem ſophiſma dicitur *ab vitioſa inductione*, fitque cum ex aliquibus duntaxat particularibus enunciationibus in *materia contingenti*, univerſalis adſertio infertur; fallaciam hanc utplurimum committunt homines præjudicati, ignari, invidi, qui ex quo nonnulla coetus alicuius Individua errent, omnia Individua errare ineptiſſimè deducunt. Quapropter cavendum „ in omni inductione ne nimis „ properanter procedamus, & ex pauciſſimis ſingu- „ laribus ſtatim ad univerſale, vel ex quibuſdam „ duntaxat partibus ſtatim ad totum evolemus (a).

§. 231. Innumera inſuper ſunt ſophiſmata illa, quæ a voluntate ortum ducunt. Primus autem errorum fons, quo voluntatis vitio ratiocinia noſtra labefactantur, *amor ille eſt*, *quo ſua quiſque proſequitur*, quique idcirco *philautia* a Græcis dicitur: ex hoc namque fit, ut complures altè, & glorioſè de ſe ſentientes, omnia ſua excogitata pro firmis, ac infallibilibus dogmatibus haberi prætendunt, taliter ut ſi quis refragari illis velit, cœcutire prorſus ipſis appareat. Ex hoc ipſo omnibus contingit, ut propriam inſcitiam ſapientiam eſſe firmiter teneant; ideoque fit, ut quamvis parum ſciamus, omnia ſcire tamen opinemur.

§. 232.

(a) Chauvin. Lexic. Phil. V. *inductio*.

§. 232. Ex hoc ulterius *philautiæ* fonte illorum nascitur error, qui de omnibus censent ex hoc universalissimo, maximèque commodo principio: *rationem*, nempe, *a se stare*, *sibi veritatem ipsam perspectam esse*. Qui sane error non aliundè procedit, quam ex ingenii sui honorifica præconcepta opinione. eo usque hominum devenit stultitia, ut omnia propriæ cognitionis principia, claris, evidentibusque veritatibus innixa adserere non vereatur; ità res procedit: nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum, nemo ignarum.

§. 233. Adsunt verò alii, qui ad quasdam evellendas sententias, non alia utuntur ratione, quam hac, quæ sanè lepidissima est: *si id verum esset*, *ego doctus non essem*: *sed sum vir doctus*: *id ergo non est verum*. Propter hanc præsertim causam „ tandiu „ neglectæ sunt tot utilissima in medicina medica- „ menta tot certissima experimenta rejecta, quia sci- „ licet qui illa nescivere, concipiebant, tamdiu se „ fuisse in erroribus versatos. Quid? si sanguis, in- „ quiunt, perenni circuitu corpus circumeat; si ali- „ mentum feratur ad jecur per venas mesaraicas, si ar- „ teria venosa sanguinem convehat ad cor; si idem „ sanguis per venam cavam descendentem ascendat; „ si natura vacuum non horreat; si aer gravitet, „ deorsumque feratur, pulcherrimarum in Anatomia, „ & Physica veritatum hucusque ignarus ego fuerim; potius hæc omnia falsa sunto (*a*). Ad hoc vero animi vitium curandum, advertant hujusmodi homines, errare, ac decipi proprium mentis finitæ esse, simulque quæ in dies e sinu temporis exeunt, debent nos latere omnino, licet in aliarum rerum scientias supremum teneamus fastigium.

§. 235. Ex hoc præterea nimio sui amore, aliorumque odio, præter superbiam, ambitionem, gloriam vanam, aliorum contemptum, continuam rixan-

(a) Auct. Art. cogit. *Part.* III. *Log. cap.* 20.

xandi libidinem, aliaque sano Philosopho prorsus indigna, aliud maximum oritur voluntatis sophisma, quod *argumentum ab invidia ductum* jure merito vocitatur. Habetur autem vitium hocce multis modis;

„ 1. cum sententia, quam impugnandam aggredimur,
„ non ingenuè, & sua nativa facie, sed perperam,
„ & iniquè exponitur. 2. cum nominibus invidiosis,
„ exosisque titulis illa infamatur. 3. cum eadem iis
„ confertur, quæ jam ab Ecclesia damnatæ sunt,
„ quasi commune aliquid cum illis haberet. 4. cum
„ pondus controversiæ augetur, maximique momenti
„ res ipsa fingitur, quamvis in se sit levissima. 5.
„ cum auctor accusatur, quod voces, usu, pluriumque
„ auctoritate consecratas adhibere noluerit, ut
„ hinc callide dogma rejiceret, quod vocibus illis exponi
„ ab omnibus solet. 6. cum oppositæ sententiæ
„ rationes, atque principia malitiosè occultantur, vel
„ ità exponuntur, ut nullius prorsus valoris; atque
„ ponderis illæ appareant. 7. cum tacentur incommoda,
„ quibus opinio nostra premitur, & occultantur
„ momenta, quibus convelli ipsa potest, vel plurimum
„ labefactari. 8. cum vicissim ex sententia,
„ quam oppugnamus, invidiosa consectaria deducuntur.
„ 9. cum non solum nulla eorum mentio efficitur,
„ quæ auctorem excusare possunt, verum
„ etiam in malam partem accipiuntur, quæ explicari
„ commode queunt, & sano sensu intelligi. 10.
„ cum plura in disceptatione miscentur, quæ penitus
„ abs re sunt, ad creandam tamen invidiam
„ quammaximè couferunt. 11. cum novitas, quasi
„ crimen, obiicitur. 12. cum contraria sententia
„ paucorum esse, & quidem exiguæ famæ, ostenditur;
„ qui vero illi adversantur, viros esse eximios,
„ atque doctrina apprime celebres. 13. cum ex peritis
„ idoneisque judicibus sit provocatio ad iniquos,
„ & imperitos. 14. cum denique contrariæ
„ sententiæ patroni, ac fautores, perinde ac si turbatores
„ essent, publicæ tranquillitatis, apud Viros

Prin-

„ Principes infamantur, malignisque suspicionibus „ exponuntur, quasi de regnis, de veritate, deque „ ipsa fide actum plane sit, si eorum doctrina in scho- „ lis recipiatur „. Hactenus Joannes Clericus *in sua Logica*.

§. 235. Postremo pravis ex hujusmodi voluntatis humanæ dispositionibus, in aliud extremum vitium, inquirendæ veritati procul dubio perniciosissimum inctrrunt non pauci ignari homines, qui Auctores impense diligunt, illis demisè obsequuntur, & quidquid ab ipsis pendet, piaculum ducont, ne quidem latum unguem ab eorum verbis, sententiisque discedere. Ast quantum a vero aberrent isti, nonnisi ex gravissimorum Auctorum mente dignoscere est, quâ docemur, ut infra videbimus, sola naturali ratione ductrice, non aliorum auctoritate, de rebus naturalibus esse philosophandum. His autem omnibus, ac singulis tam ex intellectu, quam ex voluntate profluentibus sophismatibus ut occurramus, præter dicta, contraria adhibeantur remedia: *contraria* enim, fert commune adagium, *contrariis curantur*; simulque sat est viro cordato, ingenuoque veritatis amanti errorum fontes noscere, ut ab ipsis immunis inde servari possit, atque alienus.

*Tertiæ Partis Logices Finis.*

LO-

# LOGICES
## PARS QUARTA.
### De Methodo.

ULtima Logices noſtræ pars remanet trutinanda, quæ methodum præſefert. Parum namque eſt Viro Philoſopho objecta externa percipere, de ipſis judicare, diſcurrere, ni omnia hæc ordinatè diſponeret; de hac itaque diſpoſitionis norma agentes, prodeat.

## CAPUT I.

*Methodi natura, & partes explicantur; ubi de quæſtione, ejuſque legibus diſſeritur.*

§. 236.

MEthodus definitur communiter: ars quædam cogitationes noſtras aptè ad invicem diſponens, tum ad ignoratam veritatem inveſtigandam, cùm ad cognitam aliis monſtrandam.

§. 237. Duo ſcilicet ſunt methodi munera, & veritatem ignotam quærere, & inventam aliis revelare. Methodus itaque duplex eſt, *analytica*, & *ſynthetica*. Prior, quæ *reſolutionis*, ſive *inventionis* dicitur etiam (idem eſt enim analyſis græcè, quod latinè reſolutio) deliteſcentem veritatem inquirit: omne totum in ſuas partes dividit, omnia compoſita in ſua principia reſolvit; ſicque a cognitione rei ſingularis, atque compoſitæ tranſit ad cognitionem ſimplicium, & univerſalium. Poſterior, ſeu *compoſitionis* (ſyntheſis græcè, compoſitionem latinè indicat), vel quoque doctrinæ tradendæ, è contrario inventam veritatem alios docet;

tet; a simplicioribus nempe ad minus simplicia, a partibus ad totum gradatim ascendit: sic mens universali, atque obscuro aliquo sibi quæsito proposito, per analyticam methodum ad omnes singulares ejus partes progreditur, singillatim illas explicat, donec ad peculiares conclusiones claras, atque evidentes deveniat; sicque controversiam resolvit, partem illam quæ vera apparet, amplectendo, oppositam vero rejiciendo. E converso, ut ex modo dictis patet, per syntheticam methodum in aliqua solvenda quæstione mens nostra procedit.

§. 238 Quæstio a verbo *quæro*, nascitur, estque veritatis alicujus obscuræ, ac inevidentis, propter varia momenta pro utraque parte, affirmante nempe, & negante, militantia, investigatio. Omnis autem quæstio vel instituitur *de nomine*, vel de re. Quæstio de nomine non est intelligenda de vocabulorum inquisitione, sed indagatio quædam est, qua mens ex vocabulis, queis homines vel ad loquendum, vel ad scribendum utuntur, res significatas per ea scrutatur; tales sunt ænigmatis alicujus soldtiones; tales, in quibus genuinus Auctoris alicujus sensus corruptus, vel a Scriptore aliquo ambagiosè occultatus, dilucidatio inquiritur. Quæstio vero de re, sive rei quadruplici modo institui potest, 1. cum ex rei alicujus effectibus ejus indagatur causa, vel ex proprietatibus rerum natura. 2. è contrario cum ex causa effectus, ex natura proprietates inquiruntur. 3. cum cognitis partibus, quæritur totum ex illis enascens: sic evenit in additionè, in qua pluribus numeris datis, quænam sit omnium summa inquiritur. 4. denique cum cognito toto, & parte aliqua, quæritur quænam sit pars reliqua, quemadmodum fit in subtractione, & divisione, ut si quæratur quot dies remaneant ex 29., auferendo 15.? respondebitur, restant 14.

§. 239. Advertendum heic, quod in istis duobus postremis quæstionum generibus, nomine *partis* omne id intelligendum est, quod in re quomodolibet est, indicat nimirum rei *modos*, *proprietates*, *accidentia*, & ge-

& generatim *attributa omnia*.

§. 240. Tandem cujuscunque naturæ sit solvenda quæstio, distinctè *animo tenendum est*.

1. *Id, quod præcisè quæritur*, h. e. quæstionis ipsius apex præ oculis est habendus. Nam „ evitan-
„ dum est nonnullorum vitium, qui præcipiti, &
„ inconsulto animi impetu responsa, & solutiones
„ dare conantur, priusquam bene ex circumstantiis,
„ aliisque indiciis constiterit, quid quæratur, ex qui-
„ bus, cum ipsis offertur, id esse, quod quæritur,
„ cognoscere possint: non aliter quam si servus ju-
„ bente hero amicum accersiri, protinus se in pedes
„ conjiceret, nondum audito ejus nomine, quem ex
„ amicis herus conventum cupit (a).

2. *Quæstionis titulus clarè exponatur; simulque quod ignoratur notis quibusdam signetur; ut scire tandem possimus, veritate detecta, hoc illud esse, quod quærebatur*.

## CAPUT II.

### *De Analyticæ Methodi regulis; seu de methodo studendi, & primo de legibus illis, quæ utrique methodo sunt communes*.

§. 241.

Variæ sunt regulæ illæ, quas pro utraque methodo; analytica nimirum, & synthetica Auctores statuunt: utiliores vero sunt sequentes:

1. *Sive veritatem inquiras, sive doceas a notionibus, & facilioribus incipito, atque hinc pedetentim ad difficilia, & ignota progredito*. Est regula isthæc fax illa, quæ lumen menti præbet, ut ipsa neglecta nec qui philosophatur ulterius progredi, nec qui alios docet Auditorum mentes illustrare queit.

2. In

(a) Auctor art. cogit. Part. IV. cap. 2.

2. *In singulis gradibus seriei judiciorum, queis ratiocinatio continetur, curato, ut eadem servetur evidentia, aut certitudo, quæ primum præstabilita est, ut nempe non tantum secunda judicia necessariam importent cum primis connexionem, cum tertiis secunda, quarta cum tertiis, & sic porro; sed ut eam connexionem tu clare persentiscas, clareque, atque distinctè veritatem eorum judiciorum, quæ ex primis corrivantur, intelligas*. Hoc siquidem modo tantum mens illustrari potest.

3. *Sive inquiras, sive doceas tantum verborum adhibito, quantum ideis nitidè concipiendis, vel explicandis, sat esse queit: stylo facili, ac naturali semper utitor: a verborum tandem copia, & a stylo declamatorio, & tragico caveto*. Intellectus enim non verborum copia, sed rationum efficacia percellitur. Stylo autem declamatorio, & tragico non suasio, sed commotio habetur.

4. *Omne totum in suas partes, omne genus in suas species, quoad fieri potest, dividito, & membra singula diligenter examinato*. Nequit sane res confusè, ac permixtè expedi, atque dignosci.

5. *Vocabula singula si vaga sint, obscura, atque confusa, per ipsorum definitiones, & quidem communiter receptas declarato, eodemque in sensu semper intelligito*. Secus enim, vel quid quæris, ignorabis, vel quod doces Auditores latebit. Hæ sunt leges illæ, quæ utrique methodo communes sunt; modo canones illos trademus, qui ad methodum analyticam spectant.

§. 242. Quicumque igitur ignoratam veritatem disquirere cupit, vel quæstionem quamlibet expedire, præter traditas (§. 240.) regulas, sequentes quoque studiosè advertat.

1. *Perpende num animum aptum habeas, idoneusque sis ad veritatem inveniendam, vel quæsitum solvendum, ne aut inutiliter divageris, aut ridicula prorsus, & inepta proferas*. Sunt enim nonnulli, qui phi-

philautia ducti, cuique massæ manus imponunt, cum tamen scientias ne quidem a longe salutaverint; adversus hos sic cecinit Venusinus noster:

*Sumite materiem vestris, qui scribitis, æquam*
*Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,*
*Quid valeant humeri . . . . .*

2. *Singulis valedicendum est antea præconceptis quocumque ex fonte præjudiciis*: his siquidem mediis rapimur in errorem, nec vera respicimus.

3. *Auctores ea de re, cujus veritas inquiritur, agentes idonei, & meliores seligantur, in quibus studiosè versemur.* Quanti namque emolumenti lectio sit optimorum Auctorum, nemo sanæ mentis ignorat.

4. *Uni Facultati addictus, ab aliarum studio se abstineat*. Fert enim commune adagium: *pluribus intentus, minor est ad singula sensus*; & ut Seneca monet (*a*): *qui quo destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur; non ire istud, sed errare est.*

5. *Non multa legenda, sed multum*. Sic egregiè notat Seneca, curiosulos damnans, qui per varios Auctores, & scripta properanter currunt, inquiens (*b*): „ Primum argumentum compositæ mentis existimo, „ posse consistere, & secum morari. Illud autem vi„ de, ne ista lectio multorum Auctorum, & omnis „ generis voluminum habeat aliquid vagum, & in„ stabile. Certis ingeniis immorari, & innutriri opor„ tet, si velis aliquid trahere, quod in animo fide„ liter sedeat, nusquam est, qui ubique est. In pe„ regrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut mul„ ta hospitia habeant, nullas amicitias. Idem acci„ dat necesse est iis, qui nullius se ingenio familia„ riter applicant, sed omnia cursim, & properantes „ transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori ac„ cedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil æquè „ sani-

(a) *Epist.* 45.
(b) *Epist.* 2.

„ sanitatem impedit, quam remediorum crebra mu-
„ tatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo
„ crebro medicamenta tentantur. Non convalescit
„ planta, quæ sæpe transfertur; nihil tam utile est,
„ quod in transitu prosit. Distrahit animum librorum
„ multitudo. Itaque cum legere non possis quantum
„ habueris, sat est habere quantum legas. Sed mo-
„ do, inquis, hunc librum evolvere vole., modo
„ illum. Fastidientis stomachi est multa degustare:
„ quæ ubi varia sunt, & diversa, coinquinant, non
„ alunt. Probatos itaque semper lege: & si quando
„ ad alios divertere libuerit, ad priores redi.

6. *Res, cujus veritas inquiritur ad modum quæstionis reducatur, & quantum fieri potest simplicis, vel saltem haud nimis composita*. Compositio siquidem menti humanæ finitæ, ac limitatæ confusionem parere solet.

7. *Exposito quæstionis sensu, omnes separatim termini definiantur, qui ad veritatem determinandam inservire debent*. Ad perfectam namque rerum intelligentiam nil magis confert, quam distincta eorum notitia, quæ ad posteriora exponenda, sive probanda debet inservire.

8. *Sicuti in terminis, ità & in definitionibus a communi sensu non est recedendum; sed si aliquando contingat terminos præter communem sensum usurpare, hujusce novæ acceptionis ratio reddi debet*.

9. *Terminorum definitionibus subjiciantur Scholia, & Animadversiones, ut res quæ controvertitur magis, magisque innotescat*.

10. *Dissentientes Auctorum opiniones sincerè perpendantur, & adnotentur*. Sic enim in promptu habebimus quidquid alii sentiant.

11. *Quod si res, quæ controvertitur per solas adnotatas definitiones ita evidens non evadat, ut ab omnibus intelligatur, tunc Axiomata, Postulata, aut tandem hypothesis aliqua adhibeatur*. Ad axiomata quod spectat, nullum admittatur, nisi per se notum

sit, atque evidens ex terminis ipsis, queis constat; quod si aliquod hujusmodi principium non sit tale, & explicatione aliqua egeat, utpote ex alio evidentiori deductum, pro secundario, non primario admitti poterit; secus enim demonstrationes, quæ ex principiis certis, ac evidentibus desumi debent, tanti momenti haud erunt ad contrarium sentientes perstringendos. Hac pariter ratione adhibeantur Postulata, quæ propositiones illæ sunt, quarum veritas ex eo manifestissima evadit, quod ab Adversariis illimet veritati acquiescentibus facilè conceditur. Hypothesis autem græcè, idem latine significat, ac *una positio posita super aliam*, ut ista: *Si diabolus est Angelus; diabolus non habet corpus*; prima positio, h. e. si diabolus &c hypothesis; secunda autem *diabolus* scilicet &c. thesis nuncupatur; hinc istius veritas ab illius veritate, tanquam a sua conditione pendet. Hypothesis igitur definitur merito: enunciatio quædam a mente conficta vel ad veritatem explicandam, vel ad veritatis alicujus causam, rationemque, quæ vel penitus ignota, ac obscura est, determinandam. Duplici ergo modo hypothesis formari potest, & pro revelanda rerum veritate, & pro vera ipsius causa assignanda: sic primo modo hypothesim formaret, qui autumaret: *mentem humanam ideas in se gignere*; & ab aliis non intellectus, fingeret mentem ad modum speculi alicujus; ideas vero ad instar imaginem in illo depictarum. Secundo modo hypothesim institueret, qui causam, cur Philippus ex. gr. magnis febribus teneatur, assignare cupiens, mente conningeret, Philippum laboribus, vigiliis, esui, & potui, aliisque hujusmodi afflictivis causis plurimum incumbuisse. Usus hypotheseon in Physicis frequentissimus est.

12. *Propria sententia si affirmans est, affirmativè, si negans, negativè determinetur; tum ope definitionum præmissarum, axiomatum, experimentorum, aliarumque propositionum antea demonstratarum, probetur, atque demonstretur.*

13. Op-

13. *Opposita rationes, & momenta, quæ stabilitam assertionem evertere possunt, ingenuè referantur, & penitus diluantur*. Secus enim determinata propositio pro certa, & indubia, ex motivis in conversum militantibus, haberi non poterit. Utile ergo quammaximè est, concludit S. Aug (*a*), *ut quidquid contradici potest, si occurrerit, refutetur, ne ibi occurrat, ubi non sit, qui respondeat; aut præsenti quidem, sed tacenti occurrat, & minus sanatus abscedat*.

14. *Digressiones fugiantur peratteute*: Memoriæ namque, & intellectui confusionem parere solent. Fit siquidem, loquitur S. Doctor (*b*), „ ut cum incidentes quæstiones, aliæ quæstiones, & aliæ rursus incidentibus incidentes pertractantur, atque „ solvuntur, in eam longitudinem ratiocinationis extendatur intentio, ut nisi memoria plurimum valeat, atque vigeat, ad caput, unde agebatur, disputator redire non possit.

15. *Cognitiones, quas studio hausimus, cum Viris doctis conferantur*., Ut enim pictores, ad rem Tullius (*c*), & ii, qui signa fabricantur, & vero etiam „ Poetæ, suum quisque opus a vulgo considerari vult, „ ut si quid reprehensum sit a pluribus, id corrigatur, hique & secum, & cum aliis, quid in eo „ peccatum sit, exquirunt, sic aliorum judicio per„ multa nobis & facienda, & non facienda, & corrigenda sunt.

16. *Quidquid studio in dies consequitur in scriptis referatur; simulque pacato animo perpendatur*. *Nulla res tantum*, ait Cicero (*d*) *ad dicendum profuit, quam scriptio*. Et S. Aug. *ego ipse*; *loquitur* (*e*), *multa quæ nesciebam, scribendo me didicisse confiteor*.



(a) Lib. 4 *de Doctrina Christiana* cap. 20.
(b) Idem ibid.
(c) Lib. 1. *de Offic.* cap. 62.
(d) *In Bruto* cap. 24.
(e) *In Prolog.* lib. 2. *de Trinitate*.



# CAPUT III.

## De Methodi Syntheticæ regulis; sive de methodo docendi.

§. 243.

Syntheticam methodum adhibes, cum quæ didicisti, alios docere cupis. igitur.

1. *Curato ut ea doceas, quæ tu, quod perfectius potest, calles.* De se numque arrogantius sentire est, ea docere, quæ vel nos fugiunt, vel per summa capita tantum fuere agnita.

2. *Aptos, ac idoneos Auditores eligito, nec deficiendo eos cito relinquito.* Sapientia enim, ad rem Seneca (a), *ars est, certum petat, eligat profecturos, ab his, quos desperavit, recedat, non tamen cito relinquat, sed in ipsa desperatione extrema remedia tentet.*

3. *Facultatis, cui Auditores operam dant, emolumentum, & excellentiam explicato.* Sic discipuli alliciuntur, atque amorem erga ipsam in dies concipiunt.

4. *Quidquid doces, breviter, claré, ordinatéque tradito.* Brevitatem itaque, ait C. Plinius II. *custodiendam esse confiteor, si causa permittat, alioquin prævaricatio est transire dicenda. Prævaricatio etiam cursim, & breviter attingere, quæ sint inculcanda, infigenda, repetenda* (b). Brevitatem hanc commendavit Poeta, dum cecinit (c):

*Quidquid præcipies, esto brevis, ut cito dicta*
*Percipiant Animi dociles, teneantque fideles.*
*Omne supervacuum plane de pectore manat.*

5. *Quidquid doces, audientium memoriæ infigatur, curato*: sic enim exultabis, cum præterita, ab ipsis quæsieris.

§. 244.

---

(a) *Epist.* 29.
(b) Lib. 1. *epist.* 20.
(c) Horat. *Art. Poet.* v. 335.

§. 244. Quod autem Auditores respicit, sequentes monstrant canones:

1. *Debet studens præter magnam discendi cupiditatem, Præceptoris lectioni unicè incumbere, eamque primò benè intelligere, & posteà* ad litteram, *ut dicitur, memoriæ committere.* Ex hoc enim non modicam sibi advenire experietur utilitatem; in primis namque familiaris ipsi evadet latina eloquutio, quam semper in promptu habere, magni est: eosdem insuper terminos, easdemque voces adhibendo, queis Magister utitur, facilius ejus ideas terminis illis alligatas, assequitur: memoria demum sic faciendo paulatim augetur; *ex repetitis* siquidem *actibus, fit habitus*; & ut Ovidius noster concinit:

*Gutta cavat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo.*
*Quid magis est durius saxo, quid mollius unda?*
*Dura tamen molli saxa cavantur aqua.*

2. *Quotidianis lectionibus non sit contentus, sed præteritas cum illis præsertim connexionem habentes, frequenter adeat.* Ignavi siquidem Auditoris est diurnis lectionibus incumbere, vel cursim tantum illas attingere.

3. *Quidquid in dies dicit, cum aliis sociis semper conferat mutuis interrogationibus; simulque quamdiu sub Magistri disciplina moratur a libris abstineat.* Ex multitudine namque, & varietate rerum confusio magna nascitur.

4. *Magistri opiniones, ac sententias non ideo veras præcisè existimet, quia ipse dixit, ità rem se habere, sed rationes, quibus ad illas probandas utitur, animadvertat, atque perpendat, ex quarum efficacia illas veras judicet, donec majori fulcitus cognitione, si veritati aut consonas adinvenerit, illas penitus rejiciat.* Poterit inquam id præstare studens, quando amplius sub Præceptoris disciplina non extat.

§. 245. Postremo illas relinquo leges, juxta quas in omnibus se gerere debet discipulus cum suo Magistro, utpotè istæ cuique vel ex ipso rationis lumine

innotescant. Solum dicam cum Seneca (*a*): „ Præ„ ceptorum, & Medicorum magna caritas, magna „ reverentia sit. Ne dicas nihil quidquam his debere „ te, nisi mercedulam. Nam primo quædam pluris „ sunt quam emuntur, Emis a Medico rem inæsti„ mabilem; vitam ac valetudinem bonam: a bona„ rum artium Preceptore, studia liberalia, & animi „ cultum. Itaque his non rei pretium solvitur, sed „ laboris, quod a rebus suis avocati nobis vacant. „ Deinde & medicus, & præceptor sæpe in amicum „ transeunt, & nos non tam arte, quam vendunt, „ obligant, quam benigna, & familiari voluntate. „ Hoc cum factum est, tam medico, quam præce„ ptori prætium operæ solvitur, animi semper debe„ tur „. Nec non & cum Quintiliano, sic ajente (*b*): „ Id præcipuè monendi sunt Adolescentes, „ ut ament Præceptores suos non minus quam ipsa „ studia; & existiment eos Parentes esse, non qui„ dem corporum, sed mentium. Multum hæc pie„ tas confert ad felicem exitum studiorum. Ita enim „ & libenter audient, & dictis credent, & esse Ma„ gistrorum similes concupiscent; in ipso denique „ coetu scholarum læti, & alacres convenient; emen„ dati non irascentur, laudati gaudebunt, ut sint caris„ simi, mereri conabuntur. Nam ut præceptorum „ officium est docere, sic discipulorum præbere se do„ ciles: alioqui neutrum sine altero sufficiet „. Tandem cum M. Aurelio Imperatore, sic loquente (*c*) concludamus: „ Diis acceptum refero, quod bonos Præ„ ceptores habuerim, quod illos maturè evexerim ad „ honores quos expetere videbantur: quod mihi quo„ que copia fuerit Magistrorum, qui ad educandos „ liberos meos essent idonei (*d*). „ Imo tantum honoris

(a) Lib. *6. de Benef.* cap. 15.
(b) Lib. 2 cap. 2.
(c) *Lib.* 1. §. 17.
(d) Senec. lib. 2. *de ira* cap. 2.

noris Magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas domi inter Lares Deos, haberet, ac sepulchra eorum hostiis, & floribus semper honoraret.

## CAPUT IV.

### *De methodo disputandi.*

§. 246.

Disputatio quedam est studiosa contentio, seu pugna inter duos in aliqua resolvenda quæstione; quorum unus *defendens opponens* alter vocitatur. Primus thesim, h. e. propositionem aliquam tuetur; secundus eamdem oppugnat, ac evellere nititur. Disputationis emolumentum, modo ea non abutamur, magnum est: *languorem, enim*, loquitur Petrus de Crosa (*a*) *privatæ meditationis, utraque disceptatio* (privata nempe, & publica) *supplet; promptam cum ad cogitandum, tum ad eloquendum facultatem conciliat; acuit ingenium, & judicium in veri a falso discrimine roborat, dum talibus in exercitiis objecta ab omni parte versantur, occasionesque præbentur eorum excogitandorum, quæ alias in mente forte nunquam venissent.* Quomodo autem disputatio institui debeat, diximus (§. 240.); modo quasdam disputationis leges tam generales, quam particulares tradenus.

§. 247. Regulæ generales disputationis sunt sequentes.

1. *Nulla de iis instituenda est disputatio, quæ per se nota, evidentissima, certissimaque sunt; ceu & de iis, quæ hominis captum planè superant, ac excedunt.* Disputationis siquidem cujuslibet scopus est, ut rerum veritas manifestetur: quæ ergo per se nota sunt, nullum subire debent disputationem. Nulli quo-



(a) Part. IV. *Logicæ* cap. 10.

que disceptationi subjecta esse debent, quæ nequeunt mente capi: *ubi* namque, ad rem S. Aug. (*a*) *de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus Divinarum Scripturarum certis, clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens, partem alteram declinando.*

2. *Antequam disputatio incipiat, breviter, nitidèque id exponatur, in quo volumus disceptando versari.* Secus enim nec rectè differi, nec ad finem unquam perveniri potest.

3. *Disputantes sint in colloquio mites, in audiendo quieti, & attenti, in reponendo blandi, in docendo officiosi. In collatione itaque*, sunt Augustini verba (*b*) *disputationis hoc cavendum est, ne prorumpantur in litem, quod certe caveri a modestis ac mitibus & potest, & solet.*

§. 248. Regulæ autem particulares disputationis sunt quæ sequuntur tam pro defendente, quam pro opponente:

1. *Defendens obsequenter semper, ac honorificè opponentem excipiat, ejusque argumenta fideliter, & ad verbum quantum fieri potest, repetat, ne ea terminorum mutatione propositi argumenti genuinus sensus mutetur, contrà ac opponens intelligit.* Id enim & munus defendentis est, & candidi animi argumentum.

2. *Argumenti repetitione hoc modo peracta, defendens perattentè super omnes illius propositiones reflectendo, juxtà morem scholæ respondeat*, h. e. *concedendo veras, modestè negando falsas, & ambiguas, vel æquivocas distinguendo.* Sic namque in apertum veniet, quod delitescit.

3. *Ad omnes quoque terminos attendat, nullumque qui ambiguus sit, permittat; si verò opponens aliquem terminum ignotum proferat, tunc defendens illius explanationem quærat, & tunc eumdem vel concedat, vel negat.*

4. *Di-*

(a) Lib. 2. *de peccator. merit.* cap. 36. num. 59.
(b) Lib. 4. *contra Crescon.* cap. 3.

4. *Diligentissimè animadvertat defendens, ne quid tanquam certum, aut sibi concessum adversarius assumat, quod nec concessum fuerit ab ipso, nec pro certo jure haberi possit.*

5. *Si totum opponentis argumentum, vel aliqua ejus propositio supponat aliquid, quod alienum a veritate sit, tunc modestè dicat: nego suppositum argumenti, aut minoris.*

§. 249. Quod tandem ad opponentem pertinet, sequentibus continetur legibus:

1. *Opponens contra expositam a defendente assertionem, seu thesim suum producat argumentum ea brevitate, qua facilius possit a defendente repeti.*

2. *Quamcunque defendens propositionem neget, ipsam opponens probet, omnesque illius responsiones directè oppugnet.* In hoc enim opponentis munus situm est.

3. *Caveat, ne medium terminum, quod primo ad thesim impugnandam assumpsit, mutet. Secus namque dedecus ipsi non deerit.*

4. *Nihil tanquam certum opponens assumat, quod jure a defendente negari possit, vel in dubium verti.*

5. *Difficultatis objectæ nodo soluto, quiescat, nullumque alud medium assumat.*

6. Ultimo *si opponens victoriam in se inclinare viderit, argumenti vim Assessoribus se aperuisse contentus finem oppugnationi imponat, minimè a defendente quærendo, ut propositæ difficultati faciat satis.* Sic namque fiet, inquit Petrus de Crosa (a), *ut opponentis modestia delinitus respondens, ab errore deduci se patiatur, quem obstinatè defenderet, odio atque pudore a vero contemplando alienatus.*

CA-

(a) Part. IV. cap. 10.

# CAPUT V.

*De methodo circa Auctoritatem: ubi Critices principia exponuntur.*

§. 250.

NEmini *dubium est*, inquit B. Aug. (*a*), *gemino pondere nos impelli ad discendum*; *auctoritatis, atque rationis*. De facto quidquid cognoscimus, aut per fidem ab aliis accepimus, aut evidentibus ex principiis ratiocinando nos ipsi deduximus; hinc subdit S. Doctor ibid: *quod intelligimus debemus rationi, quod credimus, auctoritati*. Primum *scientiam* constituit; secundum verò *fidem*. Fides vel est *divina*, vel *humana*: Illam efficit auctoritas divina; istam autem, humana. Et quoniam plura superius diximus relatè ad judiciorum, & ratiocinationum errores; ita hic nonnulla exponemus, quæ ad Auctoritatem spectant, & fidem in nobis constituunt: præcipua hinc Critices principia explicabimus. Est autem *Critica* ex P. Honorato a S. Maria (*b*): *ars judicii ferendi de factis historiam constituentibus, de operibus ingenio partis, de eorum variis lectionibus obviis, de sensu, stylo, & auctoribus*.

*Regulæ humanam mentem dirigentes in iis credendis, quæ ab Auctoritate Divina pendent.*

§. 251. Divina auctoritas constat, cum Deus docet. Plura itaque attendenda sunt, ne mens hac in parte erret.

1. *Non idcò quædam sunt inficienda, quia animo comprehendi nequeunt*. Plura siquidem conspiciuntur in rerum natura phænomena, permulti effectus, puta magnetis, gravitatis, luminis, siderum, mutui commercii animæ cum corpore, aliaque id

(a) Lib. 3. *contrà Academ.* cap. 20.

(b) Tom. 1. *Animadv. in regulas Critices*.

id genus innumera, quæ certissima sunt, & tamen in dubium vertere nefas omnino est, sanumque Philosophum dedecet. Fatenda hinc potius est intellectus nostri imbecillitas, quam ea inficiari, quæ intelligere haud quimus. *Numquid ideo*, eleganter B. Aug. fatur (a) *negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est?*

2. *Deus aliquid revelando, nec fallere potest, nec falli.* Magis enim falsa esse possunt, quæ certissima, & evidentissima sensibus nostris apparent, quam quæ per revelationem nos docet Optimus, Maximus Deus, cujus natura bonitas, cujus attributum veritas est.

3. *Evidentia ergo in iis postulanda non est, nec intrinsecà eorum ratio quærenda, quæ nobis proponuntur credenda. Quæ* siquidem *apparent*, appositè S. Gregorius Papa ait (b), *jam fidem non habent, sed agnitionem.*

4. *Ea insuper omnia assensu firmissimo sunt tenenda, quæ Divina, h. e. Dei, Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum innititur auctoritati.* Dei quidem in Scripturis Sacris, vel Traditionibus per Apostolos, aut per alios loquentis auctoritas infallibilis est: *quod enim*, ad rem B. Aug. (c) *universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Ecclesiæ pariter auctoritas hujusmodi est: dicitur siquidem ab Apostolo (d): *columna, & fundamentum veritatis; atque portæ inferi adversus eam prævalere non possunt* (e). Vel Romani Pontificis: Divo namque Petro, ejusque successoribus promisit Christus, dicens (f): *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides*

(a) *De domo Persev.*
(b) *Homil. 26. in Evang.*
(c) Lib. 4. *de Baptis. contrà Donat.* cap. 4.
(d) Epist. 1. *ad Timoth.* cap. 3. v. 15.
(e) Matth. cap. 16. v. 28.
(f) *Lucæ* cap. 22. v. 32.

*fides tua*: *Tu es Petrus*, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (a): Sic quoque se habet auctoritas Ss. Patrum; ab ipsis enim universa repræsentatur Ecclesiæ doctrina, atque idcirco fieri nequaquam potuit, ut in iis, quæ ad Religionem spectant omnes simul erraverint „ Solis eis Scripturarum li-
„ bris, *loquitur S. Aug.* (b), qui jam Canonici ap-
„ pellantur, didici hunc timorem, honoremque de-
„ ferre, ut nullum eorum auctorem, scribendo, ali-
„ quid errasse, firmissimè credam; ac si aliquid in
„ eis offendo litteris, quod videatur contrarium ve-
„ ritati, nihil aliud, quam mendosum esse codicem,
„ vel interpretem non assequutum esse, quod dictum
„ est, vel me minime intellexisse, non ambigam.
„ Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate
„ doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem,
„ quia ita ipsi senserunt; sed quia mihi vel per il-
„ los auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod
„ a vero non abhorreat, persuaderé potuerunt".

5. Diximus: *fieri minimè potuisse*, *ut omnes Ss. Ecclesiæ Patres in materia Fidei*, *& Religionis erraverint*. Siquidem in rebus purè naturalibus non tanta eorum quilibet fuit infallibilitate decoratus, ut haud potuerint erroribus subjici.

6. *In disciplinis naturalibus*, *humanisque artibus Ss. Patrum auctoritas majoris non est ponderis*, *illorum Philosophorum auctoritate*, *quos ipsi Patres sunt sequuti*: *unde tanti præcise hac in parte valent Ss. Patrum dicta*, *quanti valent rationes*, *queis illa nituntur*. „ Sancti namque Auctores, *egregiè monet Mel-*
„ *chior Cano* (c) non erant adeo solliciti, in Philoso-
„ phiæ dogmatis perscrutandis, quin Philosophorum
„ libros, ut totos sese Divinæ Sapientiæ darent, aut
„ valere sinebant, aut etiam interdum a limine saluta-

(a) *Matth.* 16.
(b) Epist. 19. ad Hieron.
(c) *De locis Theol.* lib. 7. cap. 3.

„ lutabant. Hinc apertè patet „ quo plausu, *eis* „ *Cl. Ludovicus Antonius Muratorius* (a) excipiendi „ sint illi, qui in physicis, in historiis profanis, & „ hujusmodi argumentis Augustinum, Thomam, Bo- „ naventuram, Antonium aliosque sanctitate simul, „ & eruditione celebres viros producunt, rati se in „ istorum auctoritate firmissimum suis sententiis com- „ parasse præsidium, & ad ista certe magna nomina „ incutiendum esse mirum suis adversariis timorem. „ *De facto, ut idem prosequitur*: Ss. Patres in hisce „ humanis artibus, ac scientiis non Christum, sed „ Platonem, sed Aristotelem, sed Avicennam, ho- „ mines scilicet impios, aut cæcos habuere Magi- „ stros, aut suum intellectum fallacem, aut alios „ homines erroribus obnoxios sequuti sunt. Quid „ ergo hic certi a Ss. Patribus polliceri tibi possis? „ Tantum sane eorum dicta valebunt apud cordatos „ viros, quantum rationibus, & robustissimis, neque „ fallacibus argumentis nitentur.

*Regulæ pro humana auctoritate.*

§. 252. Quoad humanam auctoritatem, quoad res nimirum, quæ ab Auctoribus vel per narrationem, vel per dogmata nobis traduntur, sequentes attendendi sunt canones:

1. *Fides humana ex se errori est obnoxia; fierique potest, quod ille ipse, qui aliquid nobis pro vero affirmat, decipiatur.* Omnis namque homo fallere potest, & falli; fallere quidem ex malitia, & pravo voluntatis effectu; falli autem ex intellectus imbecillitate, ac finitate; & hoc sensu illud Prophetæ verificatur: *omnis homo mendax*. „ Nihilominus ta- „ men aliqua, quorum notitiam per fidem humanam „ habemus, non minus certa, & indubia a nobis „ credenda sunt, quam si geometricis demonstrationi- „ bus essent stabilita. Horum ex numero ea sunt, „ quæ cognoscimus ex testimoniis continuis, obfir- „ matis-

(a) *De Ingeniorum moderatione* cap. 21.

„ matisque multorum hominum, quos moraliter impossibile est conspiravisse ad aliquid pro vero testificandum, quod verum non sit. Ex. gr. homines „ naturaliter aversatissimi sunt ab Antipodibus vel „ concipiendis, vel credendis; attamen quamvis nunquam fuerimus, ubi adversa nobis vestigia moventur, nihilque cognoverimus, nisi per fidem humanam, emotis mentibus ut simus oportet, si credamus Antipodas non esse. Citra etiam dementiam „ affirmari non potest, Cæsarem, Pompejum, Ciceronem, Virgilium olim nullos fuisse, præter „ inania in fictis ad voluptatem fabulis nomina (a).

2. *Nullius hominis tanta auctoritas est, ut intellectum nostrum captivet.* Vitium hocce omnes noscunt, damnant omnes, non omnes tamen vitant. „ Nescio enim, *inquit Lactantius* (b) „ quomodo plerique errare malunt, eamque sententiam, quam „ adamarunt, pervicacissimè defendere, quam sine pertinaciar quid constantissime dicatur exquirere; a „ quibus si persuasionis rationem exquiras, nullam „ possunt reddere, sed ad majorum judicicia confugiunt, quod illi sapientes fuerint, illi probaverint, „ illi scierint quid esset optimum; seque ipsos, sensibus spoliant, ratione abdicant dum alienis erroribus „ credunt. Atque utinam soli errarent, soli decipi vellent; alios etiam in consortium sui mali „ trahunt. quasi habituri solatium, de perditione „ multorum.

3. *Universalis, & constans populorum omnium, aut plurimorum in aliqua re consensus, certissimum est veritatis argumentum.* Ex lege prima colligitur; & ut egregie ait Tullius (c): *neminem omnes, & nemo omnes unquam fefellit; & alibi* (d): *omni in re omnium*

(a) Auctor Att. cogit. Part. IV. Log. cap. 12.
(b) Lib. 5. *Institut.* cap. 20.
(c) Lib. 1. *de nat. Deor.*
(d) Lib. 1. *qq. Tuscul.*

*omnium gentium consensio lex naturæ putanda est.*

4. *Credendum potius est paucis doctis, atque peritis, quam indoctorum multitudini. Ad aliquid inveniendum*, ad rem S. Aug. (a), *nihil multitudinem* prodesse cæcorum; uti se habent ignari, vulgaresque homines.

. . . . . *fruges consumere nati,*
*Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoique*
*In cute curanda plus æquo operata juventus,*
*Cui pulchrum fuit in medios dormire dies; &*
*Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam.*

5. *Perito in arte sua credendum est. Hic ipso* enim quod peritus est, perfectè rei, de qua loquitur, notitiam callere debet.

6. *Sola facti alicujus possibilitas auctoritatem non efficit.* Ex quo siquidem res aliqua sit, vel fuerit possibilis, non sequitur eam esse, vel fuisse: *a potentia* namque *ad actum non tenet illatio*, ac vel ipsi Logicæ Tirones docent. „ Debet *igitur* hic loco axio„ matis certi, & indubii esse, quod sola rei possibi„ litas ratio sufficiens non est ad fidem generandam; „ & quod potest quid rationabiliter credi, quamvis „ credatur impossibile non esse, contrarium accidisse: „ adeo ut e duobus eventibus, alter tantum credi „ possit contigisse, licet uterque possibilis censeatur; „ *concludit auctor artis cogitandi* (b).

7. *Præstantium Virorum, summorumque Philosophorum opiniones tam facilè rejici, vel reprehendi non debent; ab iisque si evidens ratio, vel manifesta experientia recedendum dictet, id fiat, salva semper, quæ illis jure debetur, reverentia.* Ut enim eleganter Quintilianus scripsit (c): neque id statim legenti „ persuasum sit, omnia utique esse perfecta, quæ „ magni Auctores dixerint. Nam & labuntur aliquan-

(a) Lib. 2. *contrà Julianum* cap. 10. n. 32.
(b) *Log.* Part. IV. cap. 13.
(c) Lib. 10. *Instit. Orator.* cap. 1.

„ quando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum „ suorum voluptati; nec semper intendunt animum, „ & nonnunquam fatigantur; cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam „ Homerus ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen ... Modestè ergo, *concludit idem*, & „ circumspecto judicio de tantis viris est pronuntiandum, ne (quod plerisque accidit) damnent, quæ „ non intelligunt. At si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quam „ multa displicere, maluerim.

8. *Testis semel etiam mendacis nulla est auctoritas, fides nulla. Sicuti & Scriptoris illius, qui auctoritates mutilat, textus truncat, interpolatque, & documenta malitiosè supprimit, quæ ipsius doctrinæ adversantur.* Hi siquidem & veritatem occultandi, & alios decipiendi, propriamque sententiam licet erroneam, ceu veram propugnandi voluntatem habent: nullam idcircò merentur fidem, modo palinodiam haud concinant, & quidem publicam; nec non infallibilia constantiæ suæ signa non præbeant: *ubi semel quis pejeraverit*, ad rem Cicero (a), *ei credi postea, etiamsi per plures Deos juret, non oportet.*

§. 253. Ast incredibile dictu est, quam crebro utrumque postremum sano Scriptore indignum, & abominabile vitium nedum in factorum narrationibus, verum ipsis in libris tam profanis, quam sacris, passimque occurrat: quot enim mendacia, textuum mutilationes, testimoniorum interpolationes, falsas auctoritatum interpretationes, &c. non induxere in Facultatibus singulis, præsertim in Sacris Litteris Infideles, Hebræi, Hæretici, aliique hujus surfuris homines? „ „ Antequam Reges, *appositè Galenus loquitur* (b) qui „ erant Alaxandriæ, & Pergami de possessione veterum

(a) Pro C. Rabirio Postumio.

(b) Comment. 1. *in Hippocr. de natura hominis* ad text. 42.

„ rum librorum studiosè contenderent, nondum ullum falso inscribebatur opus. Sed postquam præmium accipere cœpissent, qui antiqui alicujus hominis scripta iis afferebant, sic demum multa falsa inscribentes adportabant. *Et alibi* (a) *inquit*: „ temporibus Attalicorum Regum, qui de acquisitione librorum inter se contendebant, coepit fraus circa inscriptiones, & dispositiones librorum ab iis fieri, qui pecuniæ causa ferebant ad Reges virorum illustrium scripta„. Quinimo & ipsimet Ss Ecclesiæ Patres passim de fraudibus lamentantur ab hæreticis illatis, dicentes: „ Hæreticos, ut somniis suis auctoritatem conciliarent, libros, quibus ea in vulgus proseminabant, celeberrimi cujusque Ecclesiæ Doctoris, immo & Apostolorum ipsorum nominibus inscribere ausos esse. Dionysius Corinthiorum Episcopus queritur, se vivente, Ministros diaboli epistolas suas zizaniis complevisse, apud Euseb. h. e. lib. 4. cap. 23. Amphilochius Episcopus Iconii de suppostitiis hujusmodi libris commentarium inscripserat, qui temporum injuria periit (*) Hæc Genuensis. (*b*). Cui addimus, quod Sixtus Senensis de librariis sui temporis scripsit (*c*). „ Librarii nihil, inquit, præter questum arte sua quærentes, novos quotidie librorum fœtus emittunt adulterinos, suppostitios, pseudepigraphos, & nothos, præpositis absque ullo judicio & pudore in frontispiciis operum, quo ipsa & carius, & citius vendant, falsis auctorum inscriptionibus. Hoc sane artificio suppsuerunt nobis inter multos spurios partus quæstiones in Genesim Philonis Judæi, quæstiones Justini Philosophi, & Martyris ad gentes, &c. „.

H Ad-

(a) Idem *præf. comment.* 2.

(*) Laudatur in Concilio Oecumenico VII. act. 3. tom. 3. veteris editionis.

(b) Art. Log. cap. 7. §. 3.

(c) Præf. *suæ Biblioth.*

Adversus hos itaque ex fraude concreati, aliosque hujus pessimæ farinæ homines; sit

## CAPUT VI.

### *De methodo dijudicandi genuina Scriptorum opera a spuriis, integra a corruptis, vel mutilatis, aut interpolatis.*

§. 254.

VArios adsignant Auctores Canones, juxta quos se gerere debet Vir studiosus in discernendis genuinis Auctorum libris a suppofititiis, integris a corruptis; nos autem ad sequentes reducimus.

1. *Spurium, ac supposititium dicendum est opus illud, quod alicui vetusto adscribitur Auctori, dum ex antiquis codicibus id minimè deducitur. Corruptum vero autumandum illud, in quo aliquid deest, quod in novis reperitur. Mutilatum denique illud, in quo aliquid est, quod in novis deest codicibus.* Regulæ hujus ratio patet ex eo, quod nullum est genuitatis, & integritatis libri alicujus argumentum, præter antiquitatis judicium ab ipso Auctoris tempore per aliqua sæcula sibi tenax, atque constans.

2. *Mutilus, aut alius est liber ille inscriptione eadem fulcitus, in quo ea modo desiderantur, quæ a veteribus de eodem olim prolata fuere; suspectus autem est ille, in quo aliter legitur.* Ex se patet.

3. *Opera illa utplurimum aut ficta sunt judicanda, aut suspecta existimanda, quorum nulla in veteribus catalogis mentio habetur, quæque memorata haud sunt ab ullo Scriptore proximè sequentium sæculorum, nisi in conversum alia existat ratio.* Antiqua namque nulla res existimari potest, ulla absque veterum, vel immediatè sequentium obtestatione.

4. *Aut spurius, aut interpolatus censendus est liber ille, in quo dogmata leguntur iis contraria, quæ Au-*

*Auctor, cujus nomine insignitur, constanter tuetur, præcipuè si alicujus momenti illa esse videantur*. Verum regula hæc *magna cum cautione*, inquit Cl. Genuensis (a) *est adhibenda: potuit enim Auctor doctior factus; alia scribere, nec interim priorum recordari, quod omnibus, qui plura scribunt, passim contingit. Potest esse paullo Scepticismo addictior, adeoque in diversis locis diversa tueri dogmata, quod præter alios, Platonem, & Ciceronem egisse apud veteres, apud recentiores Petrum Baelium, scimus*.

5. *Liber indoctus, aut imperitia refertus, nequit ulla ex parte, aut totus viro docto tribui; nec liber fabulis scatens viro non inepto affigi, licet in antiquis codicibus ejus nomine fulciatur*. Injuria enim magna est id alicui tribuere, quod jure ipsi non convenit. De facto „ ab omni penitus verisimilitudinis „ specie abhorret, ut Scriptor prudens, gravis, & „ eruditus sibi planè ad evidentiam adversetur, op„ positasque in re magni momenti sententias tradat, „ vel tueatur, quin aliquo in loco ne leviter quidem „ tantæ mutationis, tantique discriminis mentionem „ fecerit, docueritque, cur hac in parte non sibi pla„ nè consenserit (b).

6. *Genuinum ergo censendum est opus illud, atque integrum, in quo omnia inveniuntur eadem, ac propterea cui constans, perpetuaque traditio favet*. Non potest siquidem verum, ac genuinum non esse opus illud, in quo omnis conspirat antiquitas. „ Quod si „ quis, *loquitur doctissimus Daniel Huetius* (c) ne „ id quidem ad fidem faciendam satis firmum putet, „ videat, quo argumento probare possit proavita bo„ na hæreditario jure ad se pertinere; nec tutior est „ enim publicarum tabularum, aut domesticorum in-



(a) Art. Log. cap. 7. §. 9.
(b) Caveus. *Proleg. in op. de Script. Eccl.* Sect. 4. n. 5.
(c) *Demonstr. Evang.* axiom. 1.

„ strumentorum auctoritas, quam historiæ, imo etiam „ infirmior. Illorum enim custodes sunt pauci ho- „ mines, & obscuri; hujus vero universus Orbis: „ *igitur, concludit idem*, genuinus est liber ille, qui „ genuinus habitus est ab omnibus proximè, & con- „ tinuata serie sequentibus eum ætatibus.

7. *Verum* postremo, *authenticum, atque genuinum autumandum est opus illud, quod tale esse constat ex manuscriptis fide dignis, ex uniformitate styli, atque doctrinæ, ex Veterum testimonio, & ex rebus gestis, quæ in illo eloquuntur*. Sanè; quatuor conditiones requiruntur ex Viro doctissimo (a), ad hoc ut genuina opera a suppositiis dignosci tutissimè valeant; 1. „ Si aliqua manuscripta existimatione digna, ea- „ que in primis, quæ magis Auctori coæva viden- „ tur in fronte, vel etiam in calce operis nomen „ ejusdem gerant. 2. Si stylus fuerit ubique confor- „ mis alteri ceterorum Auctoris Operum; sicut & „ principia, ac opiniones. 3. Si Scriptores sive syn- „ chroni, sive pene synchroni, ejusmodi opus eidem „ Auctori certò describant. Si denique nihil gestum „ in hoc opere legatur, quin cum historia sui ævi „ concordet.

## CAPUT VII.

*De methodo ritè Auctorum verba, & sententias intelligendi; ubi Hermeneuticæ Artis principia traduntur.*

### §. 255.

INutiles sane forent hucusque traditi auctoritatem respicientes Canones, nisi modum tradamus etiam, quo Auctorum libri capi possint. Hanc enim ob caussam *hermeneutica* ars est excogitata; ars nimirum rectè

(a) Mabillonius *de studiis monasticis* cap. 13.

rectè aliorum verba, opiniones concipiendi. Constat autem ars isthæc paucis regulis, quas pro coronidè modo recensemus.

1. *Qui veram libri alicujus intelligentiam assequi cupit, ita originalem linguam, qua fulcitur, callere debet, ut naturalis ipsi videatur.* Absque siquidem perfecta linguarum intelligentia, librorum versiones imperfectæ ut plurimum succedunt, & ratio multiplex est, ut monstrat Cl. Riccardus Simonius; 1. quia linguæ adamussim non conveniunt, 2. quia librorum enucleatores ut plurimum nomina vel ex relatione ad objecta, vel ex relatione ad proprias notiones usurpant, 3. quia idiotismi, emphases, & colores nativi linguarum nequeunt in alienam flecti.

2. *Ut librorum versiones optatum finem sortiantur, codices quam emendatissimos teneamus oportet.* Nonnisi enim hoc itinere Auctoris mentem assequi possumus, cum depravati, mutilati, & interpolati codices in causa sint, ut opiniones alienas Scriptoribus impertiamur.

3. *Auctoris patriam, religionem, ætatem, professionem, moresque sciamus, necesse est:* ex his namque facilius ejus mens noscitur. Scriptores enim opiniones suas a moribus aut patriis, aut suis deducunt.

4. *Gentium antiquitates, atque mores, ex quibus Auctor est, sunt discendæ:* perdifficile siquidem est Auctorem scripta sua morum, aut opinionum gentis propriæ colore haud inficiare.

5. *Spectandus insuper est Scriptorum finis.* Nam ut advertit Cl. Genuensis (a) „ alia ratione interpretandus est Philosophus, alia Orator, alia Poeta, „ aut alius jocularis Scriptor; quandoquidem non „ unus omnium est scribendi finis. Oratores, & „ Poetæ aut delectant, aut popularia sectantur, plerumque contra quod sibi persuaserunt: quocirca „ verum Poeticum, & verum Oratorium, quum inter-



(a) Art. Log. cap. 8. §. 6.

„ interdum popularia sint vera, ideſt popularia præ-
„ judicia, minus ſunt vera philoſophica. At Philo-
„ ſophi finis una eſt veritas. Quamobrem niſi con-
„ ſtat Poeticum in morem ludere voluiſſe Philoſo-
„ phum, ſeverius interpretandus eſt. Hæc eadem
„ regula tenenda eſt in legendis primorum Chriſtia-
„ næ Religionis Theologorum libris: Nempe Patres
„ illi non eodem modo loquebantur in Homiliis ad
„ populum, in quibus quædam aut ſubticedebant,
„ aut obſcure explicabant, ne in corruptas, & pro-
„ fanas Gentiliſmi aures abirent: & in libris dog-
„ maticis, aut in epiſtolis familiaribus ad viros eru-
„ ditos datis, quod Hieronymus ad Pammachium
„ diſertè obſervat.

6. *Loci Auctoris alicujus obſcuri interpretatio ab iis quærenda eſt, qui Scriptoris vel diſcipuli, vel amici, vel coævi fuere, non vero a Scriptoribus poſterioribus, modo non conveniant.* Illis namque; non iſtis perſpectior eſſe debet, eſtque Auctoris ſenſus, atque mens.

7. *Ceteris paribus, ejus interpretatio præferenda eſt, qui Scriptoris linguam probè novit, ejus interpretationi, quæ ex verſione tantum habetur.* Ex ſuperioribus patefcit.

8. *Ceteris paribus, in locis obſcuris, ejus interpretatio præferenda eſt, qui in materia, de qua Scriptor commentatur, eſt verſatus, interpretationi illius, qui dictæ materiæ ignarus extat. Plus* enim *momenti eſt*, ad rem Lactantius (a) in *paucioribus doctis, quam in pluribus imperitis.* Nunc

*Claudite rivos parvuli, ſat prata biberunt.*

*Quartæ Partes Logices Finis.*

QUE-

(a) Lib. 2. *Divinar. Inſtitut.* cap. 20.

# QUÆSTIONES LOGICALES

Methodo mathematico-ſcholaſtica adornatæ.

H 4

*Finis speculativæ veritas, finis practicæ opus;*

Aristot. Metaph. tex. 3.

# AD LECTOREM

## MONITUM.

PArum eſt, benevole Lector, Artis cujuſque Tyronibus præcepta tantum ipſius tradere, nil vero de ejus exercitio: per ſpeculativam ſcimus equidem, ut ſciamus; aſt per practicam ſumus ſcientes ut operemur: praxis igitur artem perficit. Itaque ut Ordinis noſtri Juventus nedum ſciat, quod modicum eſt, bene vero ut ſciendo operetur, quod perfectius eſt, quæſtiones illas, & quidem utiliores, quæ in Logica moveri aſſolent, enucleandas modo ſuſcipimus. Miſſas hinc libenter facimus eas, quæ vel ictu oculi, vel ex ſolis præceptis logicalibus ſolvi queunt. Ipſas inſuper exercitationes ea methodo trademus, qua & præcepta logicalia; ita nempe ut una cognitio prono alveo ſequatur ex altera. In Adverſantium tandem ſolvendis momentis ad uſum noſtræ Scholæ, pro qua hæc ſcripſimus, me gero, ut in ſequentibus. Vale.

CA-

# CAPUT I.

*De Philosophantium jure in rebus naturalibus perscrutandis.*

ANtequam Logices Controversiis manus admoveamus, de Philosophorum jure in rebus naturalibus investigandis exercitationem primam instituere, rem utilem duximus: hæc siquidem quæstio totius philosophici palatii princeps clavis est; hæc, quæ Philosophis eorum aperit potestatem: jure hinc merito ait Scevola (a): *turpe est jus, in quo versamur, ignorare*; prodeat itaque.

## QUÆSTIO I.

*Ubinam Philosophorum jus in rebus naturalibus rimandis situm sit?*

§. 256.

PHilosophus is a Tullio dicitur (b), *qui studeat rerum divinarum, atque humanarum* (ratione a nobis indicata §. 16.) *vim, naturam, causasque nosse; & omnem benè vivendi rationem tenere, & persequi*. Inspecta autem rerum veritate, quàm ex munere inquirit Philosophus, rectè definitur a Cl. Wolfio, qui in eligendis, statuendisque sententiis, solius veritatis rationem habere debet.

§. 257. Philosophus nempe dum assertionem aliquam de rebus naturalibus statuere exoptat, solam naturalem rationem, non aliorum auctoritatem, juxta prima cognitionum principia ante oculos habere debet. Ex hac autem recta philosophandi methodo, vera nascitur philosophandi libertas; §. 258.

(a) *Adversarios Serv. Sulpit.* lib. 2. §. 43.
(b) Lib. 1. *de Orat.* cap. 49.

§. 258. Quæ in firmandis sententiis, sola naturali ratione inspecta, non aliorum auctoritate incedendum præscribit. Estque *moderata*, cum circum ea versatur, quæ naturalia sunt, mentisque humanæ captum haud excedunt; *immoderata* verò, quando res supernaturales, humanam superantes capacitatem, audacter rimatur

§. 259. Philosophicæ libertati è diametro opponitur philosophandi servitus, quæ è converso de rebus naturalibus conclusiones non ex naturalis rationis dictamine, sed ex Austorum doctrina statuit. Et duplici modo spectari potest; vel quatenus nempe, qui aliorum statuunt sententias, quia illas docuit atque probavit datus Auctor, puta Aristoteles, ullo absque ad naturalem rationem respectu; hæcque strictè, propriéque sumta, servitus nominatur: vel quatenus qui laudatas opiniones admittunt, non ideo præcipuè id præstant, quia datus Auctor veritati consonas dixit, bene verò quia naturalis ratio id monstrat; atque ista nonnisi impropriè, ac lato modo accepta servitus nuncupatur, utpotè si naturalis ratio deficeret, dati Auctoris assertiones haud tuerentur.

§. 160. Ex hactenus dictis apertè colligitur, Philosophis illis, qui servitutis philosophicæ jugo haud ligantur, nec in verba Magistri jurant, liberum esse, quotquot extant Auctorum opinamenta ad trutinam evocare, & quæ veritati, ac rationi consona adinveniunt, tenere, & persequi. Secus autem de sectariis intelligito Philosophis, utpote non aliter de rebus naturalibus sentire queunt, ac sentiat Auctor, in cujus verba jurarunt, etiamsi aliquid in eorum sententiis rationi adversum evidentissimè deprehendant.

*Philosophorum opiniones.*

§. 261. Philosophantium jus in rebus naturalibus investigandis, in moderata situm voluere philosophandi libertate (§. 259.) ex Ethnicis Pythagoras, Thales Milesius, Zeno Eleates, Socrates, Plato, & Aristoteles, qui hujusmodi libertate utentes,

tes, varia systemata instituere. Hæc tamen non obstante Magnorum Virorum methodo, quoiquot eorum extitere Auditores, Pythagorici præsertim, penes quos *tantum præjudicata opinio poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas (a)*, nedum suis calculum addidere, sed quod pejus, pro aris, & focis illorum opinamenta decertare non verebantur. In moderata quoque philosophandi libertate situm docuere Philosophorum jus Recentiores Galilæus Galilæi, Petrus Gassendus, Renatus Cartesius, Leibnitius, Christianus Wolfius, Isaaccus Newton, Gravesandus, Hugenius; & ex Eclecticis Potamon Alexandrinus, Ammonius, Plotinus, Herennius, Jamblychus, Clemens Alexandrinus, aliique permulti, quorum innumeræ extant detectæ veritates, innumeraque experimenta.

§. 262. Quoad Renatum Des-Cartes advertere est, ipsum post institutam de rebus omnibus dubitationem, universaliter, & immoderatè philosophandum docuisse, dum ait *(b)*: Quoniam infantes fuimus, & varia de „ rebus sensibilibus judicia prius tulimus, quam inte- „ grum nostræ rationis usum haberemus, multis præ- „ judiciis a vera cognitione avertimur, quibus non „ aliter videmur posse liberari, quam si semel in „ vita de omnibus studeamus dubitare... Nunc ita- „ que cum tantum veritati inquirendæ incumbamus, „ dubitabimus in primis, an ullæ res sensibiles, aut „ imaginabiles existant; primo quia deprehendimus „ interdum nos errare; ac prudentiæ est, nunquam „ nimis fidere iis, qui nos vel semel deceperunt. „ Deinde quia quotidie in somnis innumera videmus „ sentire, aut imaginari, quæ nunquam sunt. Dein- „ de dubitabimus etiam de reliquis, quæ antea pro „ certissimis habuimus, etiam de iis principiis, quæ „ hactenus putavimus per se nota; tum quia vidi- „ mus errasse aliquando nonnullos in talibus; &

quæ-

(a) Tullius lib. 1. *de nat. Deorum*.
(b) Part. 1. Princip.

„ quædam pro certissimis , ac per se notis admissa , „ quæ nobis falsa videbantur ; tum quia maximè ignoramus , an fortè tales, nos creare voluerit Deus , „ ut semper fallamur etiam in iis, quæ nobis notissima apparent , quia non minus hoc videtur fieri „ potuisse, quam ut interdum fallamur „. Hæc Cartesius : ex quibus clarè infertur , ejus philosophandi methodum immoderatam , universalemque esse , utpotè ne evidentissimis veritatibus quidem , ac primis cognitionum principiis fidem ullam præstat.

*Controversiæ sensus.*

§. 263. Inquiritur in præsentia a nobis , ubinam situm sit Philosophorum jus in rebus naturalibus perscrutandis ? numque illud sit situm in aliorum probandis , statuendisque sententiis juxtà Pythagoricos , Aristotelicos , aliosque Sectarios ? & num tandem hanc circa rem probanda sit Cartesii opinio , immoderatè , ac universaliter , ne quidem primis fidendo cognitionum principiis , philosophandum esse , autumantis ? Priusquam autem ad quæsiti decisionem veniamus , sit.

*Postulatum 1.*

*Quod veram philosophandi methodum tollit, omneque iter ad veritatis progressum claudit, improbandum est a sano Philosopho.*

§. 264. Patet ex se : siquidem unusquisque Philosophus hoc ipso quod talis est, vera uti debet in veritatis inquisitione philosophandi methodo ; eaque mediante progredi semper ad alias veritates in rerum natura adhuc abditas , indagandas.

*Lemma I.* (*)

*Pythagoricorum , Aristotelicorum , aliorumque Sectantium de Philosophantium jure in rebus naturalibus rimandis , opinamentum , veram philosophandi methodum tollit ; omneque ad veritatis progressum iter occludit.* §.265.

(*) Lemma propositio est , quæ propria eget demonstratione.

§. 265. *Probatur* 1. *pars*. Vera Philosophandi methodus in eo potissimum est sita, ut in philosophando nihil tanquam verum admittatur, quod tale naturalis ratio haud dictet: sed hanc philosophandi methodum e medio tollit Pythagoricorum, &c. opinio, cum in philosophando non rationem, sed aliorum auctoritatem juxta philosophicam servitutem propriè dictam, præ oculis habendam præcipiat (§. 260.): Pythagoricorum, ergo, &c. veram philosophandi methodum tollit. Q. G. 1. P.

§. 266. *Probatur* 2. *pars*. Omne sane iter ad veritatum, ac scientiarum progressum occluditur absque vera philosophandi methodo: ipsa siquidem media excogitatæ, atque detectæ sunt; ipsaque mediante progressum sunt accepturæ: atqui Pythagoricorum, &c. opinamentum veram philosophandi methodum tollit (§. præc.): omne, igitur, iter claudit etiam ad veri progressum. Eo vel maximè quod cum singuli homines, in philosophando præsertim, innumeris sint obnoxii erroribus, ceu quotidiana nos edocet experientia, servitute philosophica erga Auctorem aliquem adoptata, cum ejus omnino standum sit sententiis, etiamsi earum oppositum vero conforme videatur (§. 260.): quomodo hocce in casu grande non habebitur veritatis detrimentum, præcipuè cum uno admisso errore, plures inde pullulare queant, si ille præsertim ad alias deducendas assertiones inserviat? Ast papè dato etiam libenter, veritati adamussim correspondere quæcunque datus Auctor, puta Aristoteles statuit, probavitque; cum nihil hinc novi, & ab detecta jam veritate diversi constitui queat servitutis amore (ibid.); nullum progressum veritatem capere posse, luce meridiana patescit. „ Quare oportet, *oppositè Lactantius fatur* (a) in ea re maxime, in qua vitæ ratio versatur, sibi quemquam „ confidere, suoque judicio, ac suis sensibus niti ad inve-

(a) Lib. 2. *Divin. Institut.* cap. 8.

,, investigandam, & perpendendam veritatem, quam ,, credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum ,, rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili ,, portione sapientiam, ut & inaudita investigare pos-,, set, & audita perpendere. Nec quia nos illi (majores nostri) temporibus antecesserunt, sapientia ,, quoque antecesserunt; quae si omnibus aequaliter ,, datur, occupari ab antecedentis non potest. Illibabilis est tanquam lux, & claritas Solis: quia ut ,, Sol oculorum, sic Sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere, idest veritatem quaere,, re, omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt ,, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & ,, ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito, non putant ,, fieri posse, ut aut nisi plus sapiant, quia minores ,, vocantur; aut illi desipuerint, quia majores nominantur ,,. Ex quibus concludendum, quod Pythagoricorum &c. omne ad veritatis &c. Q. E. 2. P.

*Propositio I.*

*Jus Philosophantium situm haud est in Auctorum probandis, statuendisque opinamentis juxta philosophicam servitutem propriè dictam; secus ac Pythagorici, Aristotelici, aliique Sectarii contendunt.*

§. 267. *Demonstratur*. Quod veram &c. (ex postul. 1.): atqui Pythagoricorum &c. (per Lem. 1.): jus Philosophantium, ergo, situm &c. Appositè hinc loquitur Aristoteles (*a*): *Philosophiae de ipsis rebus tractandum esse secundum veritatem*; & alibi (*b*) ait: *Oportet percurrere opiniones priorum, qui aliquid enunciaverunt, ut benè quidem dicta accipiamus; si quid autem est non bene, evitemus. Idipsum Lactantius sentiit, cum scripsit (c): Docemur, nullam sectam fuisse tam deviam, nec Philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero;* & post pauca:

(a) Lib. 1. *Topic.* cap. 11.
(b) Lib. 1. *de Anim.* text. 19.
(c) Lib. 7. *Divin. Instit.* cap. 7.

ca: *quod si extitisset aliquis : qui veritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam colligeret in unum ac redigeret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis*. Idipsum Seneca, inquiens (a): *Rerum natura sacra sua simul non tradit. Illius arcana non promiscuè, nec omnibus patent; reducta, & in interiore sacrario clausa sunt, ex quibus aliud hæc ætas; aliud quæ post nos subibit, aspiciet*: *nihil ergo*, idem concludit (b), *magis præstandum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundem est, sed qua itur*. Ideoque Jus Philosophantium &c. Q. E. D.

*Postulatum II.*

*Quod rectæ rationi refragatur, a sano Philosopho est abjiciendum.*

§. 268. Evidentissimum per se est hocce postulatum. Nam cum Philosophus sit ille, qui rectæ rationi in veritatibus detegendis inniti unicè debeat; si quod ipsi rationi contrariatur admitteret, præposterum philosophandi modum induceret, suique naturam destrueret.

*Lemma II.*

*Universalis, ac immoderata Des-Cartes philosophandi libertas rectæ rationi adversatur.*

§. 269. *Probatur*. Recta ratio dictat, ad rerum veritatem capessendam, necessaria esse prima cognitionum principia, queis mens ad veri detectionem illustratur quammaximè; & in quibus remotiores continentur rerum notiones: sed universalis Cartesiana philosophandi libertas principia huiusmodi e medio tollit, illa nimirum pro falsis, vel pro dubiis habendo (§. 263.): universalis, ergo, &c. Q. E. P.

*Propositio II.*

*Philosophorum jus situm haud est in universali, ac immoderata philosobandi libertate, juxta Renatum Des-Cartes*. I §. 270.

(a) Lib. 7. *qq. nat.* cap. 31.
(b) *De vita beata* cap. 1.

§. 270. *Demonstratur*. Quod rectæ rationi &c. ( post. 2. ) : atqui universalis &c. Q. E. D. Ceterum Cartesium inferius, ubi ejus dubitationis systema ad examen citabimus, perstringemus.

*Postulatum III.*

*Quod veram philosophandi methodum servat, & veritatis progressus importat, debet vir Philosophus amplecti.*

§. 271. Patet ex Philosophi definitione ( §. 257. ).

*Lemma III.*

*Moderata philosophandi libertas Recentiorum, & Eclecticorum veram servat philosophandi methodum, & veritatis præsefert incrementa.*

§. 272. *Prob.* 1. p. Vera philosophandi methodus in eo præsertim stat, quod in philosophando nulla statuatur sententia, nisi eam vero conformem esse, naturalis ratio præscribat : sed ita quoque se habet moderata Recentiorum, & Eclecticorum philosophandi libertas ( §. 259. ) : ergo moderata &c. veram servat &c. Q. E. 1. P.

§. 273. *Prob.* 2. p. Quotquot in rerum natura detectæ extant veritates suum progressum a moderata philosophandi libertate utentibus, recognoscunt, uti videre est in ævi cujusque Philosophis liberrimè philosophantibus : si ergo id per moderatam philosophandi libertatem consequitur ; necessario concludendum, quod moderata &c. veritatis &c. Q. E. 2. P.

*Propositio III.*

*In rebus naturalibus rimandis, jus Philosophorum in moderata situm est philosophandi libertate.*

§. 274. *Demonstratur*. Quod veram &c. ( post. 3. ): sed moderata &c. ( Lem. 3. ) : igitur in rebus &c. Præterea cum philosophicis in rebus majori standum sit experientiæ ; hæcque nostra hac ætate major sit, in qua, paucissimis exceptis, omnes eclectica utuntur methodo ; turpe certo hominibus foret humanæ mentis vim quoad res naturales ità inter sectæ alicujus inventa, & angustias cohibere, ut credatur, mentem ipsam

ipsam nil amplius veri posse detegere, in tanta præsertim rerum multitudine, quæ adhuc ignotæ obdormiunt. Summæ namque pusillanimitatis est, totum auctoritatis pondus tribuere Auctoribus, temporique jus suum denegare: veritas siquidem in naturalibus rectè temporis filia dicitur, non auctoritatis. Merito hinc ait Seneca, de se loquens (a): *Non me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero: multum magnorum virorum judicio credo, aliquid & meo vindico. Nam illi quoque non inventa, sed quærenda nobis reliquerunt: & invenissent forsitan necessaria, nisi & superflua quæsissent.* Ex quibus inferendum, quod in rebus &c Q. E. D.

*Objectis fit satis.*

*Opponit Peripateticorum turba.* In rebus naturalibus perscrutandis, Philosophorum jus situm est in aliorum probandis sententiis, non in moderata philosophandi libertate: corruit igitur exposita propositio. *Probatur antecedens.* Ibi situm esse debet Philosophorum jus in rebus naturalibus rimandis, ubi innumeræ detectæ veritates adinveniuntur: atqui in Philosophia Peripatetica innumeræ extant repertæ veritates: in rebus naturalibus, ergo, &c.

§. 275. *Respondetur.* Ibi &c. distinguo majorem, ubi innumeræ veritates detectæ tantum adinveniuntur, nego majorem, detegendæ quoque, concedo majorem: atqui in Philosophia &c. disting. minorem, & veritates hujusmodi admittendæ sunt a sano Philosopho juxta servitutem philosophicam propriè dictam, nego min., impropriè dictam, subdistinguo min., & tamen hoc modo servatur moderata philosophandi libertas, conc. min., non servatur, nego min., & consequentiam. In rimandis itaque rebus naturalibus, Philosophantium jus nedum in detectis statuendis veritatibus est situm, sed in detegendis quoque; cum Philosophus ad verum inveniendum progredi semper de-



(a) Epist. 45.

debeat , ut scientiæ suum semper acquirant , obtineantque progressum . Sic pariter se gerere debet in veris probandis sententiis , Aristotelica in Philosophia adinveniuntur , ità tamen ut se , philosophicæ servitutis jugo neglecto , intra ipsius sectæ limites non coerceat , sed juxta impropriè dictam servitutem illas admittat ; sicque faciendo , moderata semper eruetur philosophandi libertas , quæ sola naturali ratione ductrice , non aliorum auctoritate , statuendas esse sententias , præcipit ; atque præscribit ( §. 259. ) *: igitur Philosophiæ Scholasticæ detectæ veritates servitutis jugum imponere haud debent sano Philosopho.

*Contrà* : atqui Philosophia Peripatetica per veritates,

---

* *Peripateticis optimè quadrant quæ sequuntur P. Alphonsi de Castro Ordinis nostri verba lib. 1. adv. hæreses cap.* 7. Sunt plerique , qui sic afficiuntur aliquorum hominum scriptis , ut si forte quempiam viderint , qui vel digito transverso ab eorum sententia discedant ( oculatus testis loquor ) , hæresim statim inclament ... Quare fateor me non posse cohibere iracundiam , quoties video aliquos ita addictos hominum aliquorum scriptis , ut impium autument , si vel in modica re quis ab eorum sententia discedat. Volunt enim hominum scripta , velut Divorum oracula recipi , illumque honorem illis exhiberi , qualis solis sacris literis debetur . Non enim juravimus in verba hominis , sed in verba Dei. Ego enim miserrimam hanc dicerem servitutem , sic esse humanæ sententiæ addictum , ut non liceat ullo modo illi repugnare. Qualem patiuntur hi , qui se tantum Beati Thomæ, aut Scoti , aut OKam. dictis subjiciunt, ut ab eorum placitis , in quos jurasse videntur , nomina sortiantur ; quidam Thomistæ , alii Scotistæ, alii OKamistæ appellati . Paulus quidem jussit captivare intellectum nostrum , sed in obsequium Christi, non autem in obsequium hominis.

tes, quas continet, talis eſt, ut unicè adoptanda ſit a Viro Philoſopho: ergo reſponſio nulla. *Prob. min. ſubſump.* Id dictat, ac præcipit univerſalis virorum in philoſophicis apprimè verſatorum conſenſus. Philoſophia, igitur, &c. *Prob. antec.* Europæ fere omnes univerſitates, ſingula Religioſorum Monaſteria Philoſophiæ Peripateticæ nomen dedere, & in Ariſtotelis verba jurarunt: atqui ab iſtis univerſalis conficitur Philoſophorum conſenſus: id dictat, ergo, &c., adeoque Philoſophia &c.

§. 276. ℞. Europæ &c. diſtin. maj., & id meritò præſtitere, neg. maj., immerito prorſus, conc. maj., min. neg. conſeq. utramque. Quamvis ferme omnes Europæ Academiæ, aliæque ſcholæ tranſactis temporibus Peripateticæ Philoſophiæ nomen dederint, & in Ariſtotelis verba juraverint, parum nobis officit, utpote immerito prorſus id præſtiterunt: Et re quidem vera quanto tempore Philoſophi illi ſectarii Peripatetico ſub vexillo ſunt philoſophati, nihil novi adinvenere, ſed pecudum more ducebantur; poſtquam autem miſerrimum hujuſmodi ſervitutis philoſophicæ jugum e medio tollere Recentes Philoſophi, innumeræ veritates, ſolis experimentis, ſoli rationi, non aliorum auctoritati innixi, ſunt detectæ. Inſuper veteres Philoſophi illi nullius ſunt modo auctoritatis penes Recentiores, qui Philoſophiam Peripateticam, ſicuti & quamcunque aliam nonniſi quod veritati conformia amplectuntur; ſimulque eclectica philoſophandi methodo utentes, non exiguum veritati incrementum attulere, afferuntque & nunc. Tali ſiquidem pacto philoſophantur modo celebriores Europæ noſtræ Univerſitates, Londinenſis nempe, Pariſina, Salmanticenſis, Bononienſis, Romana, Neapolitana, Viennenſis, Paravina, &c., ſicuti & Religioſorum Gymnaſia, quæ hujuſmodi libertate utentia, nova in dies reperiunt, quod certè obtineri haud poſſet, philoſophica ſervitute erga Auctores adopta-

ta (*): igitur Philosophia Peripatetica talis non est, ut unice sit a viro Philosopho eligenda.

*Contrà*: atqui Veteres Academiæ, veteresque Philosophi jure Philosophiæ Peripateticæ nomen dedere: ergo redit argumentum. *Prob. min. subsumb.* Ità res procedit, si Philosophia hujusmodi plurimum Religioni revelatæ, sacræ præsertim Theologiæ conferat: sed ità res est: ergo veteres &c. Dein. philosophica admissa libertate, facilis est in absurda, hæretica, lapsus, ceu in Reformatis, aliisque Libertinis testis est experientia: ab hoc, igitur, ut alienus semper sit sanus Philosophus, Christianus præsertim, ipsius jus in rebus naturalibus rimandis non in philosophandi libertate, benè vero in Auctorum, Aristotelis præsertim, probandis adsertis, situm esse debet.

§. 277. ℟. ad 1. Non denegamus, Peripateticam Philosophiam in iis esse attendendam, quæ ad Sacram Theologiam manuducunt: ast numquid omnia ejus Sacræ Facultati favent? quamplura imò adversari monstrantur: numquid Viri Catholici Petrus Lombardus, Alexander Alensis, Albertus Magnus, Thomas, Bonaventura, aliique mendis omnibus, singulisque erroribus eamdem expurgarunt? non certè, sed tantum quoad ea, quæ Veritati Catholicæ, Fideique dogmatibus manifestius erant adversa: numquid tandem reliquæ omnes Philosophorum sectæ Sacræ Facultati sunt contrariæ? haud quidem, meo certe judicio: admittentes, ergo, Philosophiam eamdem Peripatetico Scholasticam magis Theologiæ favere, qualibet alia, eo quia a majore Ss. Patrum, atque Theologorum nu-

(*) Omnium itaque bonarum artium Scriptores, ac Doctores & legendi, & pervolutandi, & exercitationis causa laudandi, disputandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi; disputandumque de omni re in contrarias partes, & quidquid erit in quaque, quod probabile videri possit, eliciendum, atque dicendum. *Tullius lib. 1. de Oratore.*

numero fuerit exculta, non ideo eamdem probare quimus servitutis gratia, ac per consequens moderatæ valedicere philosophandi libertati, quod vetat & vera philosophandi methodus, & ulterior in scientiis progressus (§. 266. 267.): nil ergo adducto momento Scholastici proficiunt. Ad aliud quod spectat, dicimus, quod cum philosophica libertas, quam patrocinamur tanquam Philosophantium jus, moderata sit, ordinemque naturæ haud excedat (§. 259.), nullo sane pacto, ipsi hærendo, periculum inde in absurda, & hæretica Christiano Philosopho subesse potest; cumque insuper juxta Concilium Lateranense naturalis veritas nequeat supernaturali adversari, & vicissim, tutissimè hinc ille incedet in naturalibus statuendis veritatibus. Idcirco autem Reformati, Libertini, aliique hujus surfuris homines nonnulla Catholicæ Fidei haud consona statuere, ac statuunt, quia immoderata prorsus, ac effreni philosophandi libertate usi sunt, atque utuntur. Postremo ad quoscumque Scholasticos refellendos illud eorum Magistri sat sit, ajentis: *Amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica veritas*; nec non & illa Hesiodi carmina, quæ ipsemet Aristoteles recenset (a).

*Optimus ille, potest qui ex se cognoscere cuncta.*
*Ille bonus, monitis qui aliorum obtemperat. At qui*
*Ex se nec novit, nec quæ benè censuit alter,*
*Percipit, admittitque, animo est ignavus, inersque.*

Ideoque in rebus &c.

Quæstio incidens.

*Num ad verum detegendum utilis sit Syllogistica forma?*

Sano Philosopho in sui juris notitia deducto in rebus naturalibus perscrutandis, utilia instrumenta ad id felicius exequendum ipsi nunc præbere, magni res est emolumenti: hinc cum talis sit syllogistica forma, de hac differere modo non pigeat.

§. 278. Quid sit ars, seu forma syllogistica, jam di-



(a) Lib. 1. *Ethic.* cap. 4.

diximus (§. 189.): nunc sciendum, nos heic loqui de perfecto syllogismo, sive simplex, sive compositus fuerit (§. 187.).

*Philosophorum placita.*

§. 279. Artem, seu formam syllogisticam ad veritatem detegendam utilissimam agnovere, fassique sunt Cl. Viri Auctor artis cogitandi, Bernoullius, Wallisius, Leibnitius, Wolfius, Gravesandius, Muschembroekius, Heineccius, Tacquier, aliique innumeri cum Scholasticis omnibus. Diversi opinamenti sunt nonnulli scioli, scholastici nominis hostes infensi, adversus quos sit.

*Theorema* *

*Syllogistica forma utilis est ad verum detegendum.*

§. 280. *Probatur.* Philosophorum omnium vox est, ad rectè philosophandum, verumque inveniendum, nedum utile, sed necessarium esse perfectum ratiocinium, h. e. progressio a noto ad ignotum (§. 174.): atqui perfectus syllogismus ratiocinii naturam complectitur, ex notis nempe propositionibus, ignotas deducit, ceu in 3. Logices parte docuimus: igitur syllogistica forma &c. Insuper per formam hujusmodi error in ratiocinando detegitur, utpotè dubias assertiones distinguit, falsas negat, veras tantum admittit: clauditur quoque per ipsam omne iter fallaciis in ratiociniis passim occurrentibus; quocirca perfectus syllogismus medium solidissimum est nedum ad verum detegendum, propugnandum, bene vero & aliis monstrandum. Omnis præterea per hanc methodum confusio vitatur, acuiturque attentio tum defendentis, cum opponentis, dum quod controvertitur ad tres tantum propositiones, totidemque terminos convertere impelluntur. Jure hinc merito eadem, tantam præferente utilitatem usi fuere celebriores Theologi, & Ss. Ecclesiæ Patres, quos pro nostra sententia adducit

---

* Est. Theorema propositio, in qua de re descripta differitur, ejusque proprietas aliqua monstratur.

ducit Cl. Petavius (*a*); *eo quod scilicet*, ut ille ait, *isti peroptimè dignoscerent per eamdem syllogisticam formam Etherodoxorum errores*, *& sophismata solidius detegi*, *veritatesque Catholicæ Fidei invictè propugnare*. Tandem scholastica forma neglecta, quamnam disputandi methodum ad veritatem indagandam sectabimur? Non Socraticam, quæ alternis continetur quæsitis, & responsis, atque ideo ad docendos pueros magis, quam ad Virum revincendum est apta. Neque Academicam, quæ potius ad ornatè dicendum, quam ad verum dijudicandum confert: una ergo superstes est scholastica methodus, quæ opponentem haud sinit huc, illucque vagari, sed directe semper incedere, donec ad manifesta principia tam ex parte sui, quam ex parte defendentis sit deventum *: ideoque syllogistica forma &c. Q. E. P.

*Contraria enodantur momenta*.

*Objiciunt*. Per quemcunque syllogismum nihil inveniri potest, quod prius detectum non sit ab intellectu: ergo syllogistica forma inutilis est &c. *Prob. antec.*

---

(a) Lib. 1. *Theol. Dogm.*

* *Cl. Wolfii hac de re locum integrum ponam*: *est namque lectu dignissimus*. Non dubito fore aliquos, qui mirentur, cur syllogismorum formalium utilitatem predicem, qui hodie tantum non omnium ludibrio expositi sunt. Eos autem scire velim, me nec veterum placita superstitiose colere, nec in iis esse hospitem, quæ a recentioribus memoriæ prodita sunt; mihi a præceptoribus, quibus usus sum, syllogismorum contemptum fuisse implantatum, ut consueto more tyro riserim non satis intellecta; me tamen seria discussione usum aliam prorsus deprehendisse rei faciem, quam quæ per transennam eam adspicienti apparuerat, nec cum aliis viris magnis nunc ea defendere pudet ex veritatis amore, quæ sugillantur ab iis, qui ea intimius perspicere non valent. *Cogitat. ration.* §. 111. *pag.* 102.

*antec.* Per syllogismum combinari nequeunt duo extrema cum uno tertio, h. e. cum medio, nisi illorum in præmissis jam habeatur cognitio: igitur per quemcunque &c., ideoque syllogistica &c.

§. 281. ℞. *retorquendo argumentum*. Per syllogismum &c. atqui per ratiocinium quoque combinari nequeunt &c., nisi &c. quodlibet, ergo, ratiocinium utile est ad verum detegendum, quod sanè nolunt oppositores. Sed quoniam *adducere inconveniens*, ut fertur *non est solvere argumentum*, sic directè adductæ difficultati cum Christiano Wolfio (*a*) occurrimus: „ Equidem facilè prævideo, contemptores syl-„ logismorum formalium opposituros, per eos nihil „ inveniri posse, quod antea cognitum non erat, „ cum conlusio quæ inveniri debet, cognita atque „ perspecta esse debeat, antequam syllogismus forma-„ ri possit. Quod igitur inveniendum est, cognitum „ esse debet, antequam inveniri possit: id quod ma-„ nifesto absurdum est. Enimvero nonne syllogismo-„ rum origo, & quotidiana, immo momentanea „ ipsius vulgi experientia apertè loquitur, præmissas „ nobis perspectas esse, & simul animum nostrum „ subire posse; antequam de conclusione cogitemus? „ Non jam dicam de eo, calculum algebraicum „ universum, quo non modo in Mathesi, sed disci-„ plinis etiam agnatis tam multa nova hodie dete-„ guntur, ex meris syllogismis formalibus componi; „ sed in præsenti ostendisse suffecerit, quomodo theo-„ rema geometricum, cujus demonstrationem modo „ expendimus, nonnisi per syllogismos formales olim „ fuerit repertum. Ponamus enim me investigare de-„ bere, quanta sit summa trium, qui triangulo sunt, „ angulorum 1. 2. & 3. Ars inveniendi nobis insi-„ nuat, quantitatem angulorum incognitorum per „ comparationem cum angulis datæ quantitatis deter-„ minandam esse. Vi propositi liquet, angulorum

1. 2.

(a) *Ibid.* §. 113.

„ 1. 2. & 3. quantitatem esse incognitam. Unde „ colligimus, quantitatem angulorum 1. 2. & 3. „ simul sumptorum per comparationem cum angulis „ datæ quantitatis determinandam esse. Quoniam „ itaque recordor, lineas parallelas exhibere angulos „ inter se æquales; duce syllogismo præcedente per „ verticem trianguli C cum basi A B duco parallelam „ D E. Hoc pacto ratiociniis liberum campum ape- „ ruimus. Procedunt autem ratiocinia eodem pror- „ sus modo, quo in demonstratione, ut adeo eadem „ hic transcribi supervacaneum existimari debeat. „ Ecquis igitur negare ausit, præmissam utramque „ nobis cognitam esse posse, antequam conclusio in- „ notuerit, & utramque nobis succurrere, ut con- „ clusio inde inferri queat? syllogismi adeo formales „ sunt utique medium inveniendi veritatem, &, si „ ea attentione utamur, quæ ad præcavendum erro- „ rem in ratiocinando sufficit, ut in errorem inci- „ diamus fieri haudquaquam poterit „: igitur &c.

Instant. 2. Forma syllogistica veritati detegendæ minime inservit, estque inutilis, immo noxia: ergo *Prob.* Per formam hujusmodi altercationes, atque diffidia inter defendentem, & opponentem utplurimum exoriuntur: sed hoc in casu veritas obumbratur potius, quam adinvenitur: forma syllogistica igitur &c. Merito hinc apposite concinit Juvenalis:

*.... sed jurgia prima sonare*
*Incipiunt animis ardentibus: hæc tuba rixæ.*
*Dehinc clamore pari concurritur, & vice teli*
*Sevit nuda manus: paucæ sine vulnere malæ,*
*Ludere se credunt ipsi tamen, & pueriles*
*Exercere acies ....*

§. 282. ℞. Per formam &c. omitto maj. sed hoc &c. neg. min. & conseq. Imperitè se gerunt Adversarii nostri, dum tale nobis objectant argumentum. Ecquis enim non videt abusus hujusmodi, atque defectus non a syllogistica forma, quæ suo pro scopo veri-

veritatis præsefert revelationem ; bene vero a syllogizantium imperitia , superbia , philautia &c. ortum suum recognoscere ? Insuper etiam in ratiocinando nonnulli adinveniuntur pertinaces homines , qui nolunt veritati acquiescere : ex hoc , ergo , sicuti ratiocinii haud eruitur inutilitas ; ita quoque ex dissentionibus in disputando occurrunt quandoque inferri haud debet syllogisticæ formæ inutilitas, atque vanitas .

Instant 3. Forma syllogistica ceu inutilis , ad verum detegendum est traducenda : ergo . *Prob.* Si utilis revera foret ars hujusmodi , in concionibus quoque , aliisque publicis in orationibus adhiberetur . In physicis preterea nullam habet sedem talis ars , cum solis standum sit experimentis ; nec non & in moralibus , in quibus tota ratio ad auctoritatem reducitur : autumandum ergo , hujusmodi artem , seu formam syllogisticam nil veritatis inventioni , atque manifestationi conferre .

§. 283. ℞. Tantum abest , ut adducta momenta thesim nostram infirment , ut ipsam potius corroborent . Enimvero ad 1. quod attinet , falsum est omnino , syllogisticam artem non tam strictè quidem , quam in scholis , in concionibus , aliisque orationibus suam haud obtinere sedem , ad docendum præsertim , delectandum , movendum . Nec ars hujusmodi , ut imperitè nonnulli arbitrantur , sita est in illis vocibus *atqui* , *ergo* &c. , sed in perfecto ratiocinio ( §.282. ) , quo certè utuntur , & quidem necessario Oratores singuli . Ad 2. In Physicis autem sunt equidem advertenda experimenta , sed ita tamen ut vera ratiocinatio , ideoque etiam perfectus syllogismus locum obtineat suum ; quod pariter , *ad ultimum* , servandum est in moralibus , in quibus sola auctoritas non pecudum more est attendenda ; bene vero Auctorum sententiæ , atque rationes per rectum discursum sunt discutiendæ , ceu peritiores Moralistæ, senioresque Theologi præstant . Concludendum igitur ex his restat , quod syllogistica forma &c.

CA-

# CAPUT II.

*Renati Cartesii universalis dubitatio exponitur, & ad trutinam evocatur.*

QUod alibi (§. 271.) polliciti, heic satisfaciendum sumimus. Attentione siquidem digna est universalis dubitandi methodus, qua pro vero assequendo usus fuit, atque adhibendam præscripsit Renatus Des-Cartes, quæ ut magis innotescat, sit.

## Quæstio II.

*Nam universalis Cartesiana dubitatio veritatis assecutioni conferat?*

§. 284.

Dubitatio nil aliud est, quam judicii suspensio; vel adsensus in alterutram partem cohibitio.

§. 285. Enascitur scilicet dubitatio ex rerum obscuritate, inevidentia, incertitudine, ac veræ cognitionis deficientia, qua fit, ut mens suspensa maneat in aliquid de alio affirmando, vel negando.

§. 286. Dubitatio duplex est, *particularis*, & *universalis*. Prior de aliquibus obscuris, & inevidentibus rebus dubitandum præcipit. Posterior vero secus de rebus omnibus sive certis, sive incertis, sive evidentibus, sive non, ambigendum dictat. Universalis dubitatio insuper est *ad tempus*, cum hærendum mandat donec veritas elucescat; quando vero de omnibus semper dubitandum præscribit, *perennis* salutatur. Illa moderata; hæc vero immoderata prorsus, ac effrænis merito vocatur.

§. 287. Deducitur apertè ex nunc dictis 1., dubitationis fundamentum rerum esse obscuritatem, inevidentiam, inscitiam; 2. uni rem dubiam posse videri, de qua alter sit certissimus; 3. dubitationem, con-

fundendam haud esse cum rerum negatione, quia qui dubitat, ut diximus ( §. 287. ) nec adfirmat, nec negat.

§. 288. Quid veritatis, & falsitatis nomine veniat, inquimus ( §. 17. ); quid sint præjudicia, diximus quoque ( §. 122. ). modo probè advertendum, ne erronea, ac falsa præjudicia cum præcognitionibus, h. e. præviis judiciis certitudine, ac evidentia refertis, confundamus; possunt namque, assolent immo præjudicia, illæ omnes dici præcognitiones per se certæ, atque perspicuæ, ceu sunt axiomata, prima principia, &c. unde præcognita vocantur a Tullio (a) *perspicua*, & hoc in sensu præjudicia *mentis anticipationes* nuncupatur. His libatis, accedat.

*Historica Synopsis.*

§. 289. Renatus Des-Cartes natione Gallus, Dominus de Perron, religione Christianus, scholasticorum infensissimus hostis, post humaniorum literarum, Mathesis, & Philosophiæ studia, militiam secutus, in Germaniam perrexit; verum ipsa relicta, ad studia reversus. Academicos sequens, in Batavia a generali de rebus omnibus dubitatione suam exorsus est Philosophiam, sequentibus ductus motivis: „ Cum „ itaque, *loquitur Cartesius* (b), nihil magis conducat „ ad firmam rerum cognitionem assequendam, quam „ ut prius de rebus omnibus, presertim corporeis, „ dubitare assuescamus; etsi libros ea de re complu- „ res ab accademicis, & scepticis scriptos dudum vi- „ dissem, istamque crambem non sine fastidio reco- „ querem; non potui tamen, non integram medita- „ tionem ipsi dare. *Et alibi ait*: quoniam infantes „ &c. ( 263. ).... *Postea subdit* (c): Supponam igitur „ non optimum Deum fontem veritatis, sed genium „ aliquem malignum, eumdemque summe potentem, & cal-

(a) Lib. 4. *de Finib.* cap 4.
(b) In *respon. ad 2. object.*
(c) *Meditat.* 1.

„ & callidum, omnem suam industriam in eo posuisse, ut me falleret. Putabo cœlum, aerem, terram colores, figuras, sonos, cunctaque externa, „ nihil aliud esse, quam ludificationes somniorum. „ Considerabo me ipsum, tanquam manus non habentem, non oculos, non carnem, non sanguinem, non aliquem sensum: sed hæc omnia me „ habere falso opinantem. Manebo obstinatè in hac „ meditatione defixus. *Tum inquiebat*: Cogor fateri, nihil esse ex iis, quæ olim vera putabam, de „ quo non liceat dubitare, & ab iisdem, non minus quam ab aperte falsis, assensionem omnem esse cohibendam. *Clarius vero fatur* (a), *dicens*: „ Nonne ego ipse sum, qui jam dubito fere de omnibus, qui nonnichil tamen intelligo, qui hoc unum „ verum esse affirmo. Nego cetera „. Expositam Cartesii dubitationem, nedum ejus asseclæ, sed complures alii amplexi sunt, inter quos præcipue effrænes sceptici hodierni, nec non Libernini, vulgo *spiriti forti*, cum Auctore opusculi gallici. *De la foiblesse de l'entendement humain*, Bælio, & Voltæro.

§. 290. Deducendum ex modo dictis 1., Cartesium dubitationem suam non fictitiam, jocularem, aut falsam reputasse; non fuisse ex hypothesi loquutum; non hyperbolicè illam statuisse, sed serio, & ex animo differentem, præfractè omnia denegasse. Monstrant namque id illa verba: *supponam*, *putabo*, *considerabo*, ut vel ipsi Grammaticæ Tyrones non ignorant. Idipsum indicant quoque illa alia: *nego cetera*: quinimo clarius se explicat Des-Cartes ipse laudata *meditat*. 1., *&* *in respons. ad* 5. *objectiones*, dum Gassendum irato animo urgere tentat, qui ipsi ceu impietatem illud de Deo dubium exprobrarant., inquiens: ubi enim vis, opus non esse Deum fingere deceptorem, neque nos somniare, nec talia Philosophus putasset, sibi adducendam esse rationem, cur

(a) *Meditat*. 2.

cur illa non possint in dubium revocari, vel si nullam habuisset, ut revera nulla est, id non dixisset. Ait etiam, se non leviter, & inconsideratè, sed serio, validisque, & meditatis rationibus fuisse ad dubitandum adductum, & per multos annos in ea permansisse dubitatione: sanè non aliam, quam veram exigunt dubitationem, quæ ab ipso in dubium revocantur: Ergo, *concludit Cl. Daniel Huetius* (a) cum „ dubitationem suam metaphysicam, & hyperbolicam „ appellat Cartesius, non fictitiam intellexit, aut falsam, quod putant, aut putare fingunt ejus asseclæ, „ in vocabulorum illorum ambiguitate latebram pertinaciæ pro more suo quærentes, sed quæ conti„ neretur intra Metaphysicæ fines, nec ad vitæ usum „ adhiberetur: cum cæteroquin dubitatio fictitia, dubitatio non sit, uti fatentur ipsi, nec usui esse possit ad inquisitionem veritatis; sed opportuna tantum ad contradicendum; adeo ut ex usu & com„ modo disputantium dubitatio sit, aut non sit „. Patet 2. discrimen inter Cartesii dubitationem, & scepticorum impietatem. Sceptici enim ita de veritate hæsitant, ut eam inveniri haud posse, adstruant; Cartesius autem ad tempus tantum dubitat, & dubitandum docet, donec scilicet rerum veritas elucescat: quapropter Cartesius veritatem dari existimat; simulque generali de rebus omnibus instituta dubitatione, hanc veritatem se adinvenisse ait; repugnare nimirum id, quod cogitat, eo tempore, quo cogitat, non existere: hoc itaque primum, stabile, ac solidum veritatis omnis principium statuit: *ego cogito: ergo sum*. Ex ipsa insuper cogitatione infert Renatus se esse, ac existere; idque verissimum esse, etiamsi semper falleretur, semper dormiret, & somniaret, atque talis esset naturæ formatus, ut semper, ac in omnibus deciperetur.

*Quæ-*

(a) *Censur. Phil. Cartes. cap. 1. num. 2. circa finem.*

*Quæstionis sensus.*

§. 291. In præsentia quæritur a nobis, num ad verum detegendum necesse, vel saltem utile sit omnia omnino, etiam per se certa, ac evidentia; nos scilicet *extare*, *totum esse sua parte majus*, *&c.* in dubium vertere etiam ad tempus, donec scilicet veritas appareat; nec solum judicium simpliciter de rebus ipsis suspendere, verum etiam omnia falsa ad tempus quoque juxta Cartesium (§. 291.) habere? ad cujus resolutionem priusquam deveniamus, sit.

*Theorema.*

*Cartesii dubitatio, vera, proprieque dicta dubitatio, adstrui nequit,*

§. 292. *Prob.* Cartesius non anceps judicio hæret, sed supponit, putat, considerat, & existimare se dicit, omnes omnino res incertas esse, ac falsas (ibid.): sed qui omnia supponit, & habet pro falsis, nec vera illa existimat; non magis hæsitat de illis, quam qui pro veris ea tenet: assentitur enim, credit, & affirmat illa esse falsa: Ast qui assentitur, credit, & affirmat, non dubitat (§. 284.); sed qui assensum retinet, & incertum habet an res vera sit, vel falsa: Cartesii ergo, dubitatio &c. „ Nec Cartesium juvant, *subjungit Cl. Hvetius* (a), qui res ipsum „ hypotheticè tantum falsas habuisse volunt; nam „ cum & hypotheticè de iisdem dubitasse cum con„ tendant, sequitur res easdem hypotheticè falsas simul „ & dubias ipsum, hoc est (ut omnis vocabulorum „ removeatur ambiguitas) res easdem simul posuisse „ falsas & dubias, & manifestam repugnantiam in „ iisdem rebus admisisse. Nam quod falsum ponimus, „ de eo simul dubitare non possumus, falsumne sit, „ an verum „. Sed quidquid de hoc sit, clarius infra patebit. Q. E. P.

*Postulatum.*

*Nec necessarium, nec utile veritati assequendæ ad-*

strui

(a) Ibid. num. 3.

*strui id potest, quod intimo conscientiæ sensui, & recta rationi adversatur.*

§. 293. Luce meridiana patet principium hujusmodi: omnis namque veritas ut detegatur, vel intimo sensu, vel sana, ac recta ratione debet constare.

*Lemma.*

*Universalis Cartesiana dubitatio intimo conscientiæ sensui, rectæque rationi est adversa.*

§. 294. *Prob.* (1.) *pars.* Quæ intimo conscientiæ sensu nota vel ipsemet fatetur Cartesius, hujusmodi sunt: nos scilicet existere, & cogitare; totum esse sua parte majus; impossibile esse idem simul esse, & non esse; bina binis addita efficere quatuor, & similia: Jam vero quid intimus sensus de istiusmodi aperte monstrat veritatibus? ostendit nimirum, ut quilibet in seipso experitur, mentem humanam ne tantillum quidem posse de illis ambigere, multo minus pro falsis easdem habere. Sane cum humanus intellectus potentia sit necessaria, & cujus objectum veritas est (§. 16.); statim ac evidentis alicuius veritatis lumine irradiatur, ac vivida prædicati cum subjecto connexio ipsi exhibetur, ad illi assentiendum non liberè, sed necessario mens ipsa cogitur; & quidem ita, ut impossibile sit de ea dubitare, non dicam jam pro falsa, & incerta [illegible] habere: sed Cartesiana dubitatio allata prima principia, aliasque hujusmodi veritates pro falsis, vel [illegible] plane dubiis, ac incertis habendas dictat [illegible]. Intimo conscientiæ sensui refragatur. Nec Cartesianis obstinata favet scepticorum, Academicorum, ac Pyrrhonicorum dubitatio, cum [illegible] stultitiæ, ideoque non attendendi a sanioribus inducantur Philosophis, sicuti & a Cartesio ipso, qui sæpius in suis meditationibus, & in libro de methodo ait: *Scepticorum argumenta nunquam sufficientia esse posse, ut homo illæsam rationem conservans, de illarum propositionum veritate valeat dubitare. Secundo, ad sophisticam nimis ingenii ostentationem, quam sincero, intimoque animi sensu ab iis dictum fuisse,*

*se, constantissimè teneo*. Igitur universalis &c. Q. E. 1. P.

§. 295. *Prob.* 2. *pars* Recta ratio dictat, ad verum investigandum non ludicre, & per fictionem; bene vero serio, & ex animo esse incedendum. Novit id Cartesius in suis celeberrimis meditationibus. Enimvero: vel Renatus noster ludicrè omnia falsa, vel dubia existimanda nobis præcipit, vel serio, & ex animo. Si secundum cum, ergo, impossibile esse, fateatur & ipse de omnibus perpetuo scepticorum more dubitare (§. præc.); fateatur quoque opus est, id etiam ad tempus repugnare; tam impossibile siquidem est de evidentissimis hæsitare veritatibus per horas, quam per annos, aut ævum. Si primum: quomodo quæso per dubitationis apparentiam poterit mens ad verum pervenire? necesse est, igitur, ut Cartesius fateatur etiam, universalem ejus dubitationem rectæ rationi reluctari. Q. E. 2. P.

*Propositio*.

*Universalis Cartesiana dubitatio ad verum assequendum minimè confert.*

§. 296. *Demonstr.* Nec necessarium &c. (postul.): sed universalis Cartesiana &c. (ex Lem.): universalis, ergo, &c. Insuper pro maiori Cartesianorum confusione, subsumimus: atqui universalis Cartesianorum dubitatio talis est, ut ea semel instituta, nihil adeo evidens potest menti obversari, quo rationabiliter conceptam valeat deponere dubitationem. Rè: fingamus eo humanam mentem adduci posse, ut per se nota etiam, ac evidentissima si non pro apertè falsis, saltem pro planè dubiis, atque incertis habeat; sintque hæc bina: *impossibile est idem simul esse, & non esse; totum est sua parte majus*: quanam hocce in casu utentur Cartesiani methodo, qua dubium omne de illis relinqui possit; mensque ipsa certissima rursus evadere queat? mehercle consequi id haudquaquam poterit, ni alia evidentior accedat enunciatio, quæ mentem ipsam percellere queat, propositiones illas, quas in dubium vertit, indubitabili veritate

ritate fulciri : ast quæso quænam ista erit admirabilis enunciatio , quæ lucem tantam ceteris pertundere potis sit, ac valeat ? en : *ego cogito : ergo sum* ; cum impossibile sit , ait Renatus : me cogitare quin sim : Præclarum certè ratiocinium solo Cartesio dignum ! Ecquid ? nonne de hoc ipso quoque nos ambigere præcepit Des-Cartes ? magis ne fortasse possibile est idem simul esse ; totum non esse sua parte majus ; bina binis addita non efficere quatuor , aliaque hujusmodi falsitati subjici ; quam me allucinari quin cogitem , aut me cogitare quin sim , ac existem ? quod si eo mentem adigere quimus , ut de prioribus reipsa hæsitet , major ne vis opus erit ipsi , ut de posterioribus dubitet ? si illas audet scepticus denegare , istas æquo jure inficiari non poterit ? tunc certe impotes æquo erimus ad eas omnes simul probandas, quia veritates, queis Cartesiani utuntur, ut mentem a dubio eripiant, evidentiores haud sunt iis, de quibus dubitandum cum eorum duce præscribunt. Sane illud : *ego cogito : ergo sum* suam mutuatur claritatem ab illo : *impossibile est idem simul esse , & non esse* , ut cuique vel parum attendenti est manifestum : si hoc , jam fucum sibi faciunt Cartesiani omnes , utpote universalis &c. Q. E. D. Qui plura hac de re cupit, adeat Cl. Danielem Huetium in sua censura Philosophiæ Cartesianæ.

*Objectis occuritur.*

*Opponunt* 1. Sola Cartesiana dubitatione ad verum devenitur : falsum , ergo , nil ipsam veritatis assecutioni conferre . *Prob. antec.* Plura sunt obstacula , queis mens ad verum detegendum moratur : atqui per solam Cartesianam dubitationem hujusmodi removentur obstacula : sola , ergo , Cartesiana &c. *Prob. min.* Obstacula hujusmodi sunt præjudicia : sed per Cartesianam dubitationem omnia a mente removentur præjudicia : ergo per solam &c. ideoque sola &c.

§. 297. ℞. Obstacula &c. disting. maj. falsa scilicet, ac erronea , conc. maj. judicia prævia , seu prima principia nota ex se , ac evidentia , neg. maj. & disting.

disting. min. sed per &c. præjudicia tam falsa, quam vera, conc. min. secus neg. min. & conseq. utramque. Probe jam diximus advertendum, ne &c. (§. 288. usq. ad fin.). Præjudicia siquidem prioris generis, h. e. erronea, cum utique obstacula sint, ne mens rerum veritatem tutissimè assequatur, rejicienda equidem a mente esse ultro concedimus; secus autem dicendum de præjudiciis posterioris generis, scilicet per se notis, ac evidentissimis, cum ad alias detegendas veritates quammaxime inserviant, mentemque ipsam tutissimè ducant. Hinc attente consulenda, & retinenda sunt a mente principia hujusmodi ad veri assequentionem: unde Philosophi illi, qui pro removendis a mente veritatis obstaculis, hæc quoque principia evidentissima in dubium revocant; ceu præstant Cartesiani, rectè *Medicis illis*, ut optimè advertit Pr. Sicco, *similes esse dicuntur*, *qui ut humores malos ab humano corpore expellant*, *animam ipsam expellunt*: ideoque sola Cartesiana dubitatione minime ad verum pervenitur.

Contra: atqui pro removendis a mente veritatis obstaculis, prævia quoque judicia, sive prima principia sunt in dubium evocanda, immo ut falsa habenda: ergo suo in robore argumentum. *Prob. min. subsump.* ex Cartesio ipso penes Claubergium (a). „ Si „ quas veras opiniones, antequam serio philosophemur, habeamus, illæ tam multis aliis vel falsis, „ vel saltem dubiis sunt permixtæ, ut ad illas ab his „ secernendas, optimum sit, omnes initiò rejicere... „ Quod plane idem est, ac si dixissem, ad cavendum, „ ne in canistro, vel corbe pomis pleno aliqua corrupta haberentur, principio omnia esse fundenda, „ nihilque prorsus in eo relinquendum; & deinde ea „ sola vel resumenda, vel aliunde assumenda, in quibus nullum vitium esse cognosceretur „: ex his sic probant Cartesiani subsumptum. Ad illa removenda veritа-



(a) De dubit. Cartes. cap. 9.

ritatis obstacula, præjudicia falsa a veris judiciis secerni debent: sed non alia ratione consequi id potest, ni omnia tanquam falsa, vel dubia habeantur, ceu ex allato pomorum patescit exemplo: pro removendis, igitur, &c.

§. 298. ℞. conc. maj. neg. min. conseq. & paritatem. Maximum est discrimen, quod inter pomorum exemplum, & adductum reperitur momentum. Ideo namque poma illa in principio sunt e canistro, vel corbe fundenda, quia quandiu in illo extant, corrupta poma ab integris obteguntur, illaque ab istis absque canistri versione discere oculus nequit. At judicia prævia, prima nimirum principia licet cum erroneis, ac falsis permixta in mente dicantur, hoc ipso tamen quod per se nota sunt, ac evidentissima, ita humanam mentem splendore suo irradiant, ut quamclarissimè propriam veritatem, & erroneorum præjudiciorum etiam falsitatem, absque eorum commixtione, ei ostendant; hinc est, quod nullus sanæ mentis adinvenitur, qui unico, ac simplici intuitu prima præjudicia, seu principia a posterioribus haud distinguat, illaque veritate semper, hæc autem falsitate suffusa haud fateatur: nil ergo ad rem exemplum adductum.

Contrà: atqui ut judicia vera a falsis distinguantur, utraque sunt in dubium advocanda, immo ut falsa habenda: ergo a capite argumentum. *Prob. subsump.* Præjudicia erronea aliquando habita sunt tanquam vera, quæ falsa inde sunt detecta: hoc ipso etiam judicia vera laudatam aufugere non debent dubitationem; adeoque ut judicia &c. *Prob. min.* Ideo præjudicia erronea quandoque ut vera sunt habita, quia tunc primum incuriosè, & ulla absque advertentia fuere usurpata: atqui hoc etiam modo prima principia assolent a mente nostra admitti: ergo hoc ipso &c.

§. 299. ℞. conc. maj. & disting. min. atqui hoc etiam &c. simulque immediatè vera, immo verissima menti apparent, conc. min. secus, neg. min. & conseq.

seq. Prima igitur principia, cum evidentia metaphysica polleant, eorumque veritas semper eodem modo mentem affulgeat, sequitur, quod absque examine debent a mente admitti; licet aliquando, cum nempe necessaria illa prædicati cum subjecto convenientia non statim elucet, aliquali examine soleat mens ipsa uti. Secus autem incedere debet intellectus in rebus obscuris, atque falsis, uti se habent præjudicia erronea, quæ nonnisi maturo examine, ac advertentia, ratione claritatis deficientiæ, queunt tales ab intellectu dignosci; quod cum circa prima principia haud verificetur, sequitur, omnem debere ipsam dubitationem aufugere.

Contrà atqui ad veri detectionem de primis etiam principiis dubitandum est: ergo nihil solutum. *Prob. min. subsum.* ad formam Soritis: Rerum veritas agnosci nequit, nisi evidentiæ ope: evidentia haberi nequit sine demonstratione: demonstratio non datur sine evidentibus principiis: evidentia principiorum non obtinetur absque investigatione: rei investigatio præsupponit dubitationem: ergo ad veri &c. Dein complures ex Philosophis in iis decepti sunt etiam, quæ ipsis certissima videbantur: præstat, igitur, ad verum inveniendum de omnibus dubitare.

§. 300 ℞. ad 1. conc. 1. proposit., & disting. 2. evidentia &c., mediata conc., immediata neg. 3 & concessa altera una cum 5., disting. 6. rei investigatio &c. in rebus obscuris, & inevidentibus, conc. in rebus claris, per se notis, & evidentibus, neg. proposit. & conseq. Datæ distinctiones ex præcedente responso patent. *Ad 2. disting. antec.* Complures &c. ob nimium ad propriam sententiam amorem, atque peculiarem experientiam, conc. antec. ex evidentia genuina, & universali experientia, neg. antec. & conseq. Decepti equidem plerique sunt e Philosophis in rebus peculiari obfirmatis experientia, dum plurimum sibimetipsis fidentes, communia aspernarunt principia. In iis tamen, quæ generali nota sunt experien-

tia, & universalibus innixa principiis, nemo, nisi mente captus, est deceptus: Sileant ergo Cartesiani; eorum siquidem universalis dubitatio minime confert ad verum assequendum:

*Objiciunt* 2. Naturalis ratio bona roborata experientia praecipit, ad verum inveniendum, de omnibus omnino rebus esse dubitandum: ergo falsa propositio. *Prob. antec.* Astronomi ad verum detegendum falsa pro veris sumunt, cum Æquatorem, Zodiacum, aliosque circulos imaginantur in Coelo. Non absimili modo incedunt passim Geometrae, atque Philosophi. Theologi pariter in solvendis quaestionibus ad fidem pertinentibus, falsum aliquid, & haereticum supponunt in processione Spiritus Sancti, ut inde realem Divinarum Personarum distinctionem, & Processionis naturam perquirant, disceptantes: *An si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, ab eo nihilominus realiter distingueretur?* De omnibus, ergo, licitum est dubitare, ut verum a falso clarius inde discerni queat; adeoque ratio naturalis &c.

§. 301. ℞. Plusquam palmaris adest disparitas Cartesianam inter dubitationem, & laudatos Astronomos, Geometras, Philosophos, atque Theologos. Astronomi siquidem in incertum, & obscurum haud animo currunt, sed observata habent Planetarum loca; unde ut corporum coelestium explicent motus, nonnullos imaginantur circulos, ad eorundem effectibus explicandis aptos, atque idoneos esse concipiunt. Geometrae etiam, & Philosophi aliquando nonnullas fingunt hypotheses vel eadem ratione, quà Astronomi, vel ut ex istis ad aliquod statuendum absurdum impellant eum, qui evidentem aliquam veritatem denegare audet, ut scilicet eamdem admittat: sic si quis deneget, omnes lineas a centro circuli ad circumferentiam ductas inter se esse aequales; Geometra demonstrabit, hocce in casu, destrui circuli proprietatem, quae est, ut aequales sint omnes rectae lineae, quae ducuntur a centro

ad

ad circumferentiam ; atque ita Adversarium vel ad negatam linearum æqualitatem fatendam, vel ad absurdum admittendum perstringunt. Theologi denique haud abnuunt Spiritum Sanctum a Filio procedere, sed duntaxat simpliciter abstrahunt, & meræ hypothesis gratia antecedenter appræhendunt Spiritum Sanctum non procedere a Filio: *abstrahentium* enim, ut Scholæ loquuntur, *non est mendacium*, *bene vero dividentium*. At Cartesius noster nil horum præstat, sed de omnibus omnino dubitat, omniaque, evidentissima etiam pro plane falsis supponit. Paritas ergo nil ad rem.

Contrà : atqui naturalis ratio vera quoque in dubium revocanda, immo pro falsis habenda esse demonstrat: ergo responsio nulla. *Prob. subsump.* Fert commune adagium : *via deveniendi ad medium, est declinare ad aliud extremum. Sicut baculum*, loquitur Cartesius, *qui curvus est, ut rectum reddamus, illud in contrariam partem inflectimus* : *ita*, deducit Renatus, *mentem ad falsitatem inflecti debere, ut rectissime ad veritatem assurgat:* igitur naturalis ratio &c.

§. 301. V. Non aliam aptiorem dari posse argumento huic responsionem, opinamur, ea, quam Cl. Petrus Gassendus (a) Cartesio ipsi inter vivos adhuc degenti præbuit his verbis : „ Dicis te facere, quod „ illi, qui baculum curvum reddituri rectum, in „ contrariam partem inclinant ; sed dum baculus ita „ incurvatur, per rectitudinem transit, sicque assuescit se paulatim ad illam componere ; Tu vero „ menti dubiæ non per veritatem facis transitum, „ sed deflexæ in falsitatem impulsum præbes, & ex „ curvitate parva, aut mediocri, curvitatem maximam facis „ ut scilicet inde impossibile evadat menti, veritatem aliquam detegere, susceptamque depone-

(a) Tom. 3. *adverf. Metaph. Cartes.* pag. 282.

ponere dubitationem, ut (§. 286.) demonstravimus.

Contrà: atqui falsum est, universalem Cartesii dubitationem haud per rectum transire, dum omnia in dubium præcipit revocari: ergo viget argumentum. *Prob. min. subsum.* Ideo præcise homines in errores labuntur, quia methodum hanc dubitationis temnunt: falsum est ergo &c. *Prob. antec.* ex Augustino, ajente (*a*): *Sequuntur nonnulli phantasmata sua tam præcipites, ut nulla sit alia materies omnium falsarum opinionum, quam habere phantasias, vel phantasmata pro cognitis:* ex quibus en probatio. Ideo homines ex Aug. a vero aberrant, & in errores turpissime labuntur, quia quæ sensibus percipiunt pro veris, ac certis tenent; h. e. nolunt eadem in dubium vocare: atqui nil adinvenitur in mente, quod per sensus habitum non fuerit: ideo præcise, ergo &c. Hinc Aristoteles quoque, ut ediscamus, dubitationem probavit (*b*): autumandum, igitur, universalem Cartesianam dubitationem ad veritatem mentem deducere.

§. 302. ℞. ad 1. Miramur sane quanam facie tam confidenter Cartisiani istiusmodi nobis obiiciant argumentum. Falsum est enim per ipsos, omnia mediis sensibus in mentem advenire, cum plures ipsi ideas tueantur humanæ menti ab ortu suo inditas. Ast propius ad rem accedentes, distinguenda esse, reponimus, ea, quæ mens a sensibus immediate haurit, ab iis, quæ mens super eadem reflectendo, certissime noscit. In iis, quæ immediate mens per sensus cognoscit quandoque decipimur; ast evenit id, quia ad requisitas non attendimus conditiones (§. 124.). In reliquis autem cognitionibus, quas mens non quidem immediate a sensibus, sed aliunde adipiscitur, nullum habere posse locum Cartesii dubitationem, pluries diximus. Nec Augustinus Adversariis prodest. Enimvero

---

(a) Lib. 6. *de Musica* cap. 11.
(b) Lib. 2. *Metaph.*

vero modum exponens S. Doctor (*a*), quo ad verum ducimur, sic loquitur: *In quod pervenimus, in eo ambulemus; ambulando quippe in quod pervenimus, & quo nondum pervenimus, pervenire poterimus*: ex quibus patet, nos ex habitis cognitionibus ad alias veritates detegendas pervenire debere, non quidem ex falsitate, vel dubitatione; quandoquidem, ut advertit S. Gregorius Nazianzenus: *absurdum est per scopulos, immo per naufragia, ad littus ducere*. Illud ergo citato loco unice contendit Augustinus, non debere nos de rebus præcipitanter judicium ferre, sed ad omnes attendere circumstantias, nec temere phantasmatibus præbere adsensum. Quocirca subdit ibid.: *quare his potissimum resistamus, nec eis ita mentem accomodemus, ut dum in his est cogitatio, intelligentia ea cerni arbitremur*. Hoc quoque in sensu, *ad* 2., loquutum dicimus Aristotelem, qui generaliter de rebus dubitandum nunquam commendat, sed adsensum cohibendum, quoties res sit dubia, & mens suspensa hæreat pro aliquid de ipsa affirmando, vel negando: a primo itaque usque ad ultimum semper sartum manet, Cartesianam universalem dubitationem minime ad verum conferre.

## CAPUT III.

### *De idoneo veritatis Criterio.*

NIhil, vel parum sano Philosopho ingenuo veritatis amatori esset, sui juris tantum, atque methodi in rebus naturalibus rimandis callere notitiam, nisi veritatis regulam quoque, hoc est *Criterium*, qua tutus esse possit, ea, de quibus judicavit ita se habere, ceu dicuntur, & nullo pacto in illis decipi, perfecte cognitam haberet. De hac itaque veritatis tessera pro Logices nostræ coronide differentes, sit.

QUÆ-

(a) Lib. *de gratia, & liber. arbitr.* cap. 1.

## QUÆSTIO III.

### *Quodnam statuendum sit veritatis Criterium?*

§. 303.

Quid sit veritas, diximus (§. 18.). Modo sciendum, quod veritas triplex est, *logica*, *metaphysica*, & *moralis*. Prior conformitas est idearum nostrarum cum veritatibus ipsis realibus; quæ *objectiva* audit, ut a *formali* secernatur, quæ in conformitate idearum cum seipsis est sita. Posterior, seu *realis* habetur, cum res talis in se est, qualis natura sua esse debet. Ultima tandem in concordia sita est sententiarum animi cum signis, queis solent exprimi.

§. 304. Evidentia pariter, ceu veritas triplex est, *metaphysica*, *physica*, & *moralis*. Evidentia metaphysica distincta est, ac perspicua rerum abstractarum, axiomatum, atque demonstrationum puræ intellectionis menti facta explanatio. Physica, quam sensus faciunt aut intuitione, seu sensatione, aut propriam suppeditando demonstrationem. Moralis tandem cognitionem absolute certam importat, propter testes omni exceptione majores.

§. 305. Advertendum heic 1., quod illi, qui majorem, vel minorem de rebus haberi posse evidentiam adstruunt, ita sunt intelligendi, ut humanæ cognitionis evidentia major, vel minor sit non *intensive*, sed *extensive*: h. e. una cognitio altera evidentior dici potest quinque ex causis, 1. ex majore, vel minore intellectus ipsius cognoscentis perfectione; 2. ex ejusdem intellectus attentione, vel distractione; 3. ex aptiore, vel ineptiore sensuum tum internorum, cum externorum dispositione, atque constructione; 4. ex objectorum noscendorum conditione, & natura; 5. demum ex vocabulorum, ac signorum diversitate, qua fit ut non semper eodem pacto a cun-

ctis

ctis intelligantur. Notandum 2., evidentiam esse *veram*, ac *genuinam*, & *falsam*, *fucatam*, ac apparentem. Omnes certissimæ rerum cognitiones ad evidentiam veram pertinent. Ad evidentiam vero falsam, *Enthusiasmus* spectat, cujus nomine quidam mentis fervor venit; seu vividissima quædam objecti alicujus excitatio in mente, a phantasia præcipue illustrata, qua mens clarissime objectum illud percipit, atque vividissime ab eo percellitur.

§. 306. Criterium juxta græcum vocabulum *Criterion*, *judicium* significat; juxta naturam vero definitur: certa, ac infallibilis tessera, seu regula, qua ad veritatem, veluti ad lydium lapidem, certo ducimur; sive, quod idem est, qua certi sumus, ea, de quibus judicamus, sic se habere, nulloque pacto in iis nos decipi.

§. 307. „ Qui aliquid ediscere, *loquitur Diogenes* „ (*a*), pertractare, vel edocere instituit, necesse ha„ bet certum, & indubitatum præstare principium, „ scilicet aliquam regulam, sive criterium, quo di„ rigatur tutissime ad intentum finem consequendum. „ Regula autem omnis, ut monet Aristoteles, gene„ ralis esse debet, æquabilis, minimeque fallibilis; „ alioquin altera opus esset regula, quæ cognosciti„ vum principium dirigat; ut enim judicium aliquod „ indubium, certumque sit, humanusque intellectus „ certo, infallibiliterque quidpiam se noscere tutissi„ me sciat, citra scilicet periculum, errandique for„ midinem, necessarium omnino est, ut cognitionem „ omnem ad aliquam certam normam, ac infallibi„ lem, veluti ad lydium lapidem referat, ac proinde „ quædam veritas, ac certitudinis nota in omni pro„ positione vera reperiri, ac veluti fulgere debet.

§. 308. Ex nunc dictis colligendum cum Philosophis, quatuor esse Criterii characteres; 1. *Criterium debet esse universale*, se nimirum ad ea omnia exten-

---

(a) *Apud Laertium*.

tendere, quæ in data facultate eo mediante sunt noscenda; secus enim altero opus esset Criterio, ut cum Aristotele diximus (§. præc.); 2. *absolute primum*, ita ut a nullo alio præcedatur, & a quo pendeat, quia tunc istud, non illud proprie Criterium foret; 3. *certum*, *ac infallibile*, cum secus regula certa dici haud posset: certum enim ex incerto dignosci nequit; 4. tandem *ultima ratio veritatis rei cujusque demonstrabilis*. His quatuor, inquam, characteribus insigniri debet veritatis tessera, sive Criterium, ut infra.

§. 309. Sciendum tandem, Criterium veritatis dupliciter considerari posse, *materialiter*, & *formaliter*. Primo modo attentum, in iis situm est regulis, ac præceptis, quæ ad formale Criterium ducunt. Secundo modo consideratum, in ea immediata situm est regula, qua clare, evidenter, ac absolute veritas ipsa noscitur, & a falsitate secernitur.

### *Philosophorum placita*.

§. 310. Quotquot extitere veteres, & Recentiores Philosophi, scepticis exceptis, qui attendendi non sunt, veritatis Criterium agnovere, sed non omnes idem sensere. Illustriores namque Philosophi Thales, Parmenides, Xenophanes, Democritus, Heraclitus, & Anaxagoras *solam rationem*, fatente Tullio (a), *esse Criterium dixerunt; sensus autem propter illorum imbecillitatem non posse vera judicare*; & inter alios divinus Plato, *qui omne judicium veritatis, veritatemque ipsam abductam ab opinionibus, & a sensibus cogitationis ipsius, & mentis esse voluit*. Platonici autem ita utramque colligavere sententiam, ut veri Criterium partim in ratione, partim in sensibus reponerent. Idipsum de Aristotele, & Theophrasto affirmat

(a) Lib. 1. *de finibus*.

firmat Empyricus (a): *Peripatetici*, ait, *communiter cum sit duplex in summa rerum natura, quoniam aliæ quidem sunt sensibilia, alia autem intelligibilia, ipsi quoque duplex relinquunt Criterium; sensum quidem, qui sit sensibilium, intelligentiam deinde, quæ intelligibilium: amborum autem commune est, ut dicebat Theophrastus, id quod est evidens.* Ex Scholasticis vero nonnulli ab Aristotelis opinione discedentes, veritatis Criterium in solis regulis logicalibus, præcipue autem in tribus sciendi modis, quos definitionem, divisionem, & argumentationem dicunt, situm volunt; tales sunt PP. Ferrari Conventualis, & Franciscus Jacquier Minimus, aliique. Contrarium his sentiit

§. 311. Epicurus, qui putat omnem

. . . . *a sensibus esse creatam*

*Notitiam veri, neque sensu posse refelli* (b).

*Omnia* nempe *judicia rerum*, teste Tullio (c), *in sensibus ponit; quibus si semel aliquid falsum pro vero probatum sit, sublatum esse omne Judicium veri, & falsi putat*. Zeno Citticus cum suis Stoicis ad Epicurum hac in re accessisse videtur; statuit nempe pro veri Criterio *comprehensibilem*, h. e. *evidentem phantasiam*, idque ex Laertio (d), & Tullio (e) colligitur: *Zeno*, ait Cicero, *quod erat sensu comprehensum, id ipsum sensum appellabat; & si ita erat comprehensum, ut convelli ratione non posset, scientiam; sin aliter, inscientiam nominabat: ex qua existeret etiam opinio, quæ esset imbecillis, & cum falso, incognitoque communis*.

§. 312. Ex Recentioribus vero Renatus Cartesius novitatis amator, postquam ad verum detegendum de rebus

(a) Lib. 1. *adversf. Logicos*.
(b) Lucret. *lib. V.*
(c) Lib. 1. *de finib.*
(d) *In Zenone*.
(e) Lib. 1. *contr. Academ.* cap. 12.

rebus omnibus dubitandum docuerit, veritatis tesseram *in clara rei, distinctaque perceptione reposuit*, sequentibus ductus motivis: „ Quoties, *ait* (*a*) voluntate ita contineo, ut ad ea tantum se extendat, quæ illi clare, & distincte ab intellectu exhibentur, fieri plane non potest, ut errem, quia omnis clara, & distincta perceptio procul dubio est aliquid, ac proinde a nihilo esse non potest, sed necessario Deum Auctorem habet: Deum, inquam, illum summe perfectum, quem fallacem esse repugnat, ideoque procul dubio est vera „. Quid autem nomine ideæ claræ, & distinctæ intelligat Cartesius, exponit ipse (*b*), dicens: „ Claram voco illam perceptionem, quæ menti adtendenti præsens, & aperta est: sicut ea clare a nobis videri dicimus, quæ oculo intuenti præsentia satis fortiter, & aperte illum movent; Distinctam autem illam, quæ cum clara sit, ab omnibus aliis ita sejuncta est, & præcisa, ut nihil plane aliud, quam quod clarum est in se contineat. Ita dum quis magnum aliquem sentit dolorem, clarissima quidem in ea est ista perceptio doloris, sed non semper est distincta; vulgo enim homines, illam confundunt cum obscuro suo judicio de natura ejus, quod putant esse in parte dolente simile sensui doloris, quem solum clare percipiunt. Atque ita potest esse clara perceptio, quæ non sit distincta; non autem ulla distincta, nisi sit clara „. Recensitum Cartesii veritatis nanciscendæ Criterium sic aliis verbis reddunt e Cartesianis nonnulli: *Quidquid in idea clara, & distincta rei alicujus comprehenditur, id de ea certissime potest affirmari*. Hanc Cartesianorum assentionem moderatam tuentur quotquot ex Catholicis Cartesianæ doctrinæ nomen dedere: unde Pr. Mallebran-

(a) Meditat. 4. *prope finem*.
(b) Part. 1. *Princip. Artic.* 45. 46.

branche inquit (*a*) : *In rebus ad fidem ſpectantibus, nulla quærenda eſt evidentia ; ſicut in rebus naturæ, fides, ſeu auctoritas Philoſophorum nihili facienda eſt.*

§. 313. Cl. Petrus Daniel Huetius cum nullam in humana ratione veri teſſeram una cum aliis veteribus adinvenerit, *ſolam Dei revelantis auctoritatem* veritatis criterium eſſe docuit (*b*). Anaxagoras unà cum Pantheiſtis non aliam ob cauſam rationem humanam veri teſſeram ſtatuit, niſi quod ea ipſiſſima ſit Dei ratio. Eruditiſſimus Vicus Criterium veritatis *ſcientiam eſſe*, ait, *rerum faciendarum ;* ita ut verum duntaxat id habeatur, quod facere ſcimus. Inſignis mathematicus Doria veri teſſeram in *rerum unitate* ſtatuit, adeo nempe ut id ſolum verum dicatur, quod uno modo fieri poteſt. Poſtremo reliqui omnes Neoterici veritatis Criterium in vera, ac genuina evidentia ſtatuunt, qua fit, ut evidentiſſimis nequeamus non adſentiri veritatibus. Ex his omnibus recenſitis ſententiis, quid nobis videatur, priuſquam ſtatuamus, aperiatur

*Controverſiæ ſtatus.*

§. 314. Quærimus quodnam ex iis omnibus, quæ hactenus Philoſophi excogitarunt ſit veritatis Criterium ? ſeu quænam ſit illa immediata regula, h. e. formale Criterion (§. 309.), quo mediante intellectus tutiſſime, & abſque ullo erroris metu veritatem detegere, noſcere, atque ſtabilire valeat ?

*Hypotheſis.*

§. 315. Duo in præſentiarum adverſus effrænes ſcepticos ſupponimus, & dari nimirum rerum ſcientiam, quam, ipſis exceptis, omnes ſaniores admittunt Philoſophi ; & aliquod extare etiam veritatis Criterion, quod inſulſe inficiantibus ſcepticis, attendendos haud eſſe, decernimus.

*Poſtulatum.*



(a) Lib. 1. *de inquir. verit.* cap. 3.
(b) *In Alnet. quæſt.* lib. 1.

*Illud formale est veritatis Criterium, quod 1. est universale, 2. absolute primum, 3. certum, ac infallibile, 4. demum ultima ratio veritatis rei cuiuslibet demonstrabilis.*

§. 316. Hi siquidem 4. characteres illi sunt, quos ad veri Criterii naturam requisitos volunt saniores Philosophi (§. 307. 308.).

## *LEMMA I.*

*Vera, ac genuina evidentia universalis est; certa, ac infallibilis.*

§. 317. *Prob.* 1. *pars.* Vera, genuinaque evidentia universalitate gaudet, quoties ad res omnes naturali ratione noscibiles extendatur, & extendi queat: sed ita res procedit. Enimvero res omnes, quae naturali ratione capi possunt, vel sunt pure intelligibiles, ut *mens humana*, *angeli*, *Deus*; vel sunt sensibiles, ut *arbores*, *lapides*, *terra*, aliaque hujusmodi; vel sunt demum auctoritati innixae, ut *opiniones*, *historia*, &c. atqui ad res primi generis se extendit evidentia metaphysica, ad res secundi generis, evidentia physica; ad res tandem tertii generis, evidentia moralis (§.304.) suis decorata conditionibus: vera, ergo, ac genuina evidentia est universalis quoad res dignoscibiles. Neque universalitas hujusmodi vel parum laeditur, aut minuitur, ex quo ad res supernaturales etiam, humani captus aciem exuperantes, evidentiam ipsam non dicatur extendi: istae enim non naturali, sed supernaturali lumine sunt dignoscibiles; praeter quam quod in istis quoque supernaturalibus noscendis veritatibus evidentia non deest, si non intrinseca, extrinseca saltem, ex Dei nempe ipsius veracitatis, atque auctoritatis infallibilis deprompta notione, queis unice res illae nituntur: igitur vera &c. universalitate pollet. Q. E. P.

§. 318. *Prob.* 2. *pars.* Intimo conscientiae sensu experi-

perimur, mentem humanam naturali quodam pondere ad veritatem noscendam ferri, ut nullibi libentissime otietur, quam in iis, quæ evidentissime eidem revelantur: *sicut* namque *necesse est*, ad rem Tullius (*a*), *lancem in libra ponderibus impositis deprimi; sic animum perspicuis cedere;* quod sane luculentissimo argumento est certitudinis, ac infallibilitatis evidentiæ. Insuper judicia omnia, atque enunciationes, quæ ab hominibus feruntur duplicis sunt generis, aliæ evidentissimæ, ac per se notæ, & obscuræ aliæ, atque inevidentes. Priores sunt: *impossibile est idem simul esse, & non esse; quæ sunt eadem uni tertio, eadem sunt inter se; totum est sua parte majus;* aliaque id genus. Posteriores autem: *Corporum gravitas mutua est materiæ attractio; fluxus, & refluxus maris origo, pressio est Lunæ juxta Cartesium; prima corporis naturalis principia sunt monades Leibnitianæ*, & alia his similia. Jam vero circa enunciationes prioris generis cuncti homines mira quadam concordia conspirant, atque unanimiter veritatem iisdem inesse fatentur; & ex quibus inde alias inferunt propositiones, quæ certitudine pari gaudent, atque fulciuntur. Secus autem circa enunciationes posterioris generis mira conspicitur dissensio, cum ab aliis veræ, falsæ ab aliis judicentur: eccur autem, amabo, circa illas mirabilis ille consensus, circa istas vero tam portentosa dissensio? Non alia mehercle ratione id contingit, nisi quia illarum veritatem evidentia genuina fulgore suo patefacit, adeoque assensum extorquet ab omnibus sana ratione utentibus; istæ autem, utpote obscuritate, ac incertitudine suffusæ, formidinem in mente relinquunt; qua fit, ut omnes ad earum confitendam veritatem intellectum cohibere non valeant. Quod si per impossibile ab enunciationibus illis perspicuitas omnis detrahatur, jam illa assentiendi necessitas & mirabilis consensus desideraretur, ipsaque veritas in



(a) Lib. 4. *Academ.*

in densam caliginem prolaberetur, nihilque remaneret, cui tute homines fidere possint, & verum a falso discernere, sed dubitationibus, atque opinamentis duntaxat omnis humana cognitio aestuaret: igitur cum vera, ac genuina admissa evidentia, humana mens ineluctabili necessitate veritati assensum praebere cogatur, concludendum, veram, ac genuinam evidentiam infallibilem esse, ac certam veritatis tesseram

## LEMMA II.

*Vera, ac genuina evidentia est absolute prima; simulque ultima ratio veritatis rei cujuslibet demonstrabilis.*

§. 319. *Prob.* 1. *pars*. Nam absolute prima est evidentia vera, ac genuina, ita ut a nulla alia veritatis regula praecedatur. Siquidem quidquid a mente ut verum dignoscitur, vel ut falsum, sic noscitur per evidentiam, quae humanum irradiat intellectum (§. 18.). Dein concesso quod alia detur regula, quae veri Criterium sit; quaerimus: vel regula hujusmodi clare, ac evidenter veritatem intellectui patefacit, vel non; si secundum: regula ergo veritatis nec dici potest; si vero primum; id certo praestat per evidentiam: ideoque vera &c. est absolute prima. Q. E. P.

§. 320. *Prob.* 2. *pars*. Si enim a sano Philosopho quaeratur: cur ex. gr. substantia spiritualis externorum corporum actione interire non possit? ille sane respondebit: quia illud tantum externorum corporum actione perire, vel alterari potest, quod partibus constat, queis profecto spiritualis substantia destituitur. Si rursus quaeratur: cur quod partibus caret, externorum corporum actione perire nequeat? forsan dicet: quia corpora externa nonnisi per partium motum agere valent; adeoque nil eorum actione perire posse, nisi per partium earumdem dissociationem, vel alterationem, quod certe in substantia spirituali, partibus

tibus orbata, evenire non poteſt. Quod ſi tandem quæratur: cur id, quod partium concretione haud eſt compos, partium diſſociatione, vel alteratione interire non poſſit? reſpondebit. id ex contradictionis principio: *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, evidentiſſimum reddi; & proinde eo ſigno veritatem illam eſſe revelatam, ultra quod nec aliud eſſe, nec optari poſſet. Poſtremo ad ipſam veram, ac genuinam evidentiam; ceu ad lydium lapidem, laceſſit, quicunque defendens ad proprii opinamenti veritatem fatendam cupit comprimere opponentem: ipſa, igitur, rerum magiſtra experientia, & intimo ſenſu apparet, veram, ac genuinam evidentiam ultimam rationem eſſe veritatis rei cujuslibet demonſtrabilis. Q. E. D.

*Propoſitio*.

*Vera, ac genuina evidentia formale eſt veritatis Criterion*.

§. 321. *Demonſtratur*. Illud formale &c. (ex poſtul.): ſed vera, ac genuina &c. univerſalis eſt; certa, ac infallibilis (per Lem. 1.); ſimulque abſolute prima, & ultima ratio &c. (ex Lem. 2.): igitur vera &c. Q. E. D.

§. 322. Ex modo dictis colligendum, quod cum triplex ſit rerum noſcendarum ordo (§. 317.), triplex quoque ſtatui debet veri Criterium: ſic pro rebus pure intelligibilibus, ſeu metaphyſicis noſcendis, Criterium eſt evidentia metaphyſica; pro ſenſibilibus, ſeu phyſicis, evidentia phyſica; pro moralibus denique, evidentia divinæ auctoritatis pro rebus divinis; evidentia vero auctoritatis humanæ, pro rebus humanis, ſeu naturalibus. De facto hacce neglecta rerum diſtinctione, quo pacto res unius ordinis, puta metaphyſicæ, per alteram evidentiam, phyſicam nempe, aut ſecus dignoſci poſſent? nullo ſane. Præterea diverſo in caſu evidentia genuina univerſalis haud foret, quod veri Criterii primus character prohibet (§. 308.). Nunc oppoſitarum opinionum falſitas patet. Itaque allucinantur

 1. Pla-

1. Platonici omnes, Criterium veritatis partim in ratione, & partim in sensibus reponentes. Deficit namque per Platonem evidentia physica, cum duntaxat evidentiam metaphysicam, & mathematicam, pro veri tessera admittat; nec non & evidentia moralis. Hoc quoque vitio cum laborent Platonici, insimul idcirco falluntur.

2. Scholastici illi, qui in solis regulis logicis, tribus praecipue sciendi modis veritatis formale Criterium statuunt: in illis enim materiale tantum Criterium proprie consistit, ex quibus postea formale sequitur.

3. Epicurei solis sensibus, eorumque evidentie unice innixi. Deest namque evidentia metaphysica, & moralis.

4. Stoici omnes per suam evidentem phantasiam.

5. Cartesius quoque cum Cartesianis fallitur, si pro formali veritatis Criterio illud: *quidquid in idea &c.* (§. 315.) generatim, sive de qualibet evidentia tam genuina, quam apparente usurpandum esse velint. Multae siquidem in nostro intellectu adinveniuntur ideae, magna etiam claritate suffusae, quae tamen falsae, a vero difformes, & pure chimericae sunt, ut in enthusiasmo praesertim laborantibus videre est. Ulterius illa quoque distinctione admissa, Cartesianum veritatis Criterion veritatibus moralibns aptari minime potest.

6. Allucinatur Cl. Huetius, solam Dei auctoritatem, & revelationem pro universali veritatis Criterio statuendam esse, docens. Sane omni ablata humanae rationis certitudine, ipsius divinae revelationis auctoritas evertitur. Nam si ratio nihil certi nec de Deo, nec de Mundi ortu docet, qui ad revelationem appellat, aut ad Judicem, quem penitus ignorat, appellat, aut ad privatum cujusque spiritum confugit; sicque phanatismum inducit, quo nihil absurdius. Prophetae equidem, utpote divino repleti spiritu, nullo alio a ratione humana petito egebant argumen-

gumento, quo tuti redderentur, Deum esse, qui secum loqueretur. Ast non omnes spiritu prophetico decorabantur: igitur maxima hominum portio nil, ut hodie, sciebat, cum nulli sint Prophetæ, cuncti in rerum omnium inscitia versentur est opus: qui, ergo, hujusmodi propugnant sententiam, dum nimis rationem, Religionis ergo deprimunt, imprudenter licet, primum tamen Religionis fulcrum subvertunt, foedissimumque inducunt Pyrrhonismum.

7. Eruditissimus Vicus, scientiam rerum faciendarum veri tesseram esse adstruens, ita ut id verum sit tantum, quod nos facere scimus, vel possumus: ita quia substantias producere nequimus, quid ipsæ sint, nos fugit; secus vero modos, numeros, atque figuras substantiarum non ob aliam causam noscimus, juxta Virum Cl., nisi quia hujusmodi res producere quimus. Verum fallitur apertissime. Si enim res sic se haberet, hominum cognitio adeo exigua foret, ut vix de propria existentia certi essemus. Re cum simus substantiæ, substantias autem producere nequeamus, ignorabimus, num substantiæ ipsi simus, vel potius quid aliud. Insuper cum neque nobismetipsis existentiam dederimus, nec aliis præbere queamus, lateret quoque nos simus ne, vel non: scilicet!

8. Mathematicus Doria in rerum unitate veri regulam statuens. De facto si istiusmodi foret veritatis Criterium, de veritate detegenda actum omnino foret, cum modi omnes, queis una quælibet res esse potest infiniti prope sint, neque cuncti nobis sint revelati, neque tandem mens nostra finitate donata, eorum omnium numerandorum potis sit.

*Objecta diluuntur*.

*Opponunt* 1. Formale veritatis Criterium illud esse debet, quo posito, certi de veritate detecta esse possimus: atqui talis non est evidentia vera, ac genuina: falsa ergo, propositio. *Probatur minor* Illud medium aptum, ac idoneum veritatis esse haud potest, quod omni spoliatur certitudine: sed talis est

evidentia: ergo talis &c. *Prob. min.* Illud tantummodo certitudine decoratur, quod tale demonstrari potest: atqui evidentia demonstrari certa nequit: ergo evidentia omni spoliatur certitudine; ideoque formale veri Criterium in evidentia collocari haud debet.

§. 323. ℞. Illud &c. disting. maj. quod tale demonstrari potest vel directe, vel indirecte, conc. maj. directe tantum, neg. maj. atqui evidentia &c. disting. min. directe, omittimus min., indirecte neg. min. & utramque conseq. Duplici demonstrationis genere posse rem quamlibet demonstrari, directe scilicet, & indirecte, vel ipsi Logicæ Tyrones noscunt (§. 212). Jam vero, evidentiam ex eo certitudine decorari indirecte probatur, quod nisi hoc itinere de veritatibus naturalibus certi esse possemus, errores omnes qui orirentur inde, nonnisi in Deum refundere necesse foret, utpote fatalem illam in hominis mente induceret ad assensum necessitatem: blasphemum autem, impiumque cum sit delusionis auctorem Deum opinari: inferendum, ergo, evidentiam certitudine præditam iri. Verum quid si aliquo saltem pacto, directe quoque, evidentiam in mente humana certitudinem inducere probemus? Enimvero Sapientissimus Deus sicuti humanas mentes idoneas condidit permultas tum intelligibiles, cum sensibiles noscendi veritates ita iisdem inconcussum Criterium aliquod elargiri debuit, quo de dictis veritatibus tutissimæ redderentur. Criterium autem hocce in genuina evidentia generice attenta statuendum esse, ex eo vel maxime apparet, quod si secus res se haberet, tunc etiam mens de revelata veritate hæreret, quamvis interne se ambigere non posse, percipiat, sed necessario ad id, quod verum ipsi exhibetur admittendum propelli; idque ideo præcise, quia Deus humanarum mentium conditor hanc ipsis præscripsit normam, qua certæ de cognitis veritatibus forent. Præterea cum vera, ac genuina evidentia sit absolute prima, simulque

que ultima ratio veritatis rei cujuslibet demonstrabilis ( Lem. 2. ), universalis, & certa, ac infallibilis ( Lem. 1. ), non alia sane indigere debet regula, qua talis demonstretur. Sicuti namque solis lux in meridie signatim ita per semetipsam oculis manifestatur, ut nulla alia egeat luce: ita genuina evidentia seipsam intellectui patefacit, quin alia indigeat claritate. Nec putida principii petitione laboramus, cum genuinam evidentiam formale dicimus veritatis Criterium: siquidem non ex evidentia ipsa talem depromimus demonstrationem, h. e. evidentiam per evidentiam haud probamus; bene vero ex iis omnibus characteribus ad formale Criterium communi Philosophorum voce requisitis, quibus sola genuina evidentia decorata incedit: falsum est, igitur, evidentiam omni certitudine spoliari, ac per consequens veri Criterium adstrui minime posse.

*Contrà*: Licet concedatur, evidentiam talem non esse, ut directe, & a priori demonstrari queat; simulque quod per eam quandoque in statu certitudinis deveniamus, tamen perspicuitas ipsa formale haud est veritatis Criterium: ergo nulla responsio. *Prob. min. subsump.* Genuina evidentia ea præsertim est adstruenda, quæ intimo sensui nititur: atqui in hujusmodi evidentia situm haud est Criterium veritatis: igitur licet &c. *Prob. min.* Ex hujusmodi evidentia intimo sensui innixa, falsa, & absurda, tanquam vera a Philosophis tuentur: uti nos edocet experientia: in hujusmodi, ergo &c. Deinde cum evidentia sit humani intellectus affectio, eidem intimo sensui utplurimum inhærens, æqualiter omnes per ipsam veritatem noscere deberent; simulque evidentiam ipsam cuncti pro veri Criterio statuere: hoc autem cum non eveniat, sequitur quod evidentia ipsa immerito prorsus veritatis Criterium statuitur.

§. 324. ℞. Ex hujusmodi &c. disting. antec. intimo sensui, præjudiciis omnibus spoliato, & omnibus ad genuinam evidentiam conditionibus requisitis prædito,

dito, falsa &c. neg. antec., intimo sensui aliter se habenti, conc. antec. neg. conseq. Utique genuina evidentia ea præsertim est autumanda, quæ intimo conscientiæ sensui nititur, sed modo præjudicia omnia desint, simulque omnes ad genuinam evidentiam actu habeantur requisitæ conditiones. Defendunt quidem nonnulli Philosophi falsa pro veris; & per evidentiam id non præstant intimo sensui præjudiciis singulis expoliato, omnibusque ad genuinam evidentiam requisitis decorato; bene vero ex evidentia fucata, ac apparente, nec non intimo sensu præjudicatis opinionibus repleto id effutiunt; quod certe non eveniret, si res diversimode se haberet, idque ex eo vel maxime patet, neminem unquam ab evidentia primorum principiorum, aliarumque similium veritatum fuisse delusum. Hinc sua sponte altera corruit difficultas: quoties enim humanus intellectus præjudiciis singulis careret, omnibusque ad genuinam evidentiam proprie fulciretur characteribus, per ipsam profecto æqualiter omnes veritatem noscerent, omnes unanimiter idem judicarent, ceu in primis contingit cognitionum principiis; simulque a cunctis hocce in casu evidentia ipsa genuina pro formali veritatis Criterio haberetur; quod cum non eveniat, nusquam veræ, ac genuinæ, sed fucatæ, & falsæ evidentiæ, nec non hominum inscitiæ, vel præjudiciis est adscribendum.

*Contrà:* atqui homines per evidentiam intimo sensui, præjudiciis singulis spoliato, innixam, falsa pro veris tuentur: ergo viget argumentum. *Prob. subsump.* Duorum contradictoriorum unum duntaxat potest esse verum, alterum falsum sit oportet: sed utrumque contradictorium ab evidentia ipsa intimo sensui innixa multoties verum monstratur: ergo homines &c. *Prob. min.* Harum adsertionum: *trina dimensio realem corporis physici essentiam constituit: trina dimensio minime realem corporis physici essentiam constituit*, tam affirmativa Cartesianis, quam negativa Recentiorum compluribus, utraque vera, & quidem ex intimo

timo ſenſu apparet, & ut talis ab utriſque tuetur: ergo utrumque &c.

§. 325. ℞. Harum &c. diſting. antec. utraque fucate, ca apparenter vera apparet, conc. antec., evidenter, ac genuine neg. antec. & conſeq. Judicia omnia, atque enunciationes &c. (§. 318.) uſque ad jam vero excluſive. Nunc vel adductum argumentum de utroque colntradictorio priorum illarum enunciationum, vel de utroque poſteriorum accipitur: ſi primum; jam utrumque earum contradictorium verum eſſe poſſe, puta: *bina binis abdita quatuor efficiunt*; bina binis addita non efficiunt quatuor, repugnare prorſus, evidentia ipſa genuina patefacit, ut cuique apparet. Si ſecundum; cum iſtæ hoc ipſo quod dubiæ, incertæ, obſcuræ, & probabiles ad ſummum dicuntur, cujuſmodi ſunt binæ illæ Carteſianorum, & Recentiorum adſertiones, profecto vera, ac genuina evidentia de iſtis deſideratur, & quandiu tales adparent, earum ſpecifica veritas determinari nequit; & licet aliqui ſtatuere illas audeant, nonniſi fucatæ evidentiæ ope id præſtant; atque hinc eſt, quod utrumque illarum contradictorium verum adparet, cum tamen tale haud ſit, quod certe cum de enunciationibus, & judiciis prioris generis non contingat, ſignum eſt, evidentiam ipſam ſolam veritatem continuo revelare.

*Contrà*. Si evidentia abſolute veritatis dijudicandæ teſſera foret ſtatuenda, jam gradus in certitudine deberent admitti: ſed ridiculum eſt hoc adſtruere: ergo a capite argumentum. *Prob. maj.* Evidentia generice attenta per vos certitudinem inducit: ergo major evidentia, majorem gignere debet certitudinem: atqui, ſubſumo, evidentia metaphyſica eſt phyſica major: igitur majorem etiam parere debet certitudinem: ideoque ſi evidentia &c.

§. 326. ℞. conc. antec. ergo major &c. diſting. conſequens, majorem, h. e. nobiliorem gignere debet &c. conc. conſequentiam; ſecus neg. conſequentiam;

tiam ; & conc. min. disting. consequens eodem in sensu, h. e. majorem, seu nobiliorem, vel securiorem, conc., secus, nec. utramque consequentiam. Denegamus absolute, admittendam esse certitudinem, certitudine majorem. Nam sciendum est, quod illi &c. ( §. 305., usque ad notandum 2. exclusive ). Præterea si certitudo gradus admitteret, quæ paucio-res habet gradus, minor quoque certitudo foret, ac proinde cum aliqua esset dubitatione conjuncta, & subinde non esset, ut patet, certitudo. Attenta autem certitudine prout in judicii severitate continetur, una certitudo, altera perfectior, & securior est, prout nobiliore perfunditur mens ipsa evidentia, ceu se habet evidentia metaphysica, & mathematica : ast quid ex hoc ? forsan dicet aliquis : ergo in evidentia metaphysica tantum statui debet veri Criterium ? amabo; etiam evidentia physica veram certitudinem in mente inducit, ut cuique est manifestum : igitur concludamus, veram, ac genuinam evidentiam formale esse Criterium veritatis. Verum

*Objiciunt* 2. *Epicurei*. Illud formale dici debet veri Criterium, quo veritas ipsa tuto agnoscitur : atqui sic se habet evidentia sensuum, seu physica : ergo in sola physica evidentia statui debet veritatis Criterium. *Prob. min.* Experientia nos docet, quod ubicunque adest evidentia physica suis fulcita conditionibus, veritas semper tuto deprehenditur : igitur sola evidentia physica hujusmodi est, ut ea una veritas dignoscatur.

§. 327. ℟. Experientia &c. disting. antec. veritas physica, conc. antec., veritas metaphysica neg. antec., & conseq. Dicimus itaque, quod veritas rerum intelligibilium, nec non abstractarum, nonnisi evidentia mentis ; h. e. metaphysica nobis innotescere potest, quin ad evidentiam physicam recurramus, qua media solas physicas veritates noscere valemus. Non ergo una est physica evidentia, in qua veritatis Criterium universim statui debeat, sed in eo duntaxat ;

quod

quod omnes capax est rerum noscere veritates ( Postul. 1. ), cujusmodi est evidentia genuina triplici ratione considerata ( §. 319. ).

*Contrà*: atqui sola evidentia physica, cujuscunque generis veritatum Criterion statui debet : ergo nil solutum. *Prob. subsumpt.* Quidquid ab intellectu humano dignoscitur, a sensibus vel mediate, vel immediate noscitur : ergo sola &c.

§. 328. ℞. Quidquid &c. conc. antec. neg. conseq. Libenter concedimus, omnes humanæ mentis cognitiones sive mediate, sive immediate a sensibus obtineri : ast ex hoc nullum thesi nostræ accedit incommodum. Sane cum sensuum evidentia ad solas immediatas sensationes, si physico-immediata ; si vero physico-mediata, ad eas quoque veritates, quæ claris insistunt sensationibus, protendatur ; cumque innumeræ aliæ reperiantur veritates, quæ claris sensationibus haud nituntur, sed quas sola mentis industria contemplamur ; hujusmodi sunt veritates omnes metaphysicæ, & mathematicæ : ullo hinc absque dubio adfirmare timemus, hisce in veritatibus, nullum omnino adesse evidentiæ physicæ Criterion, cum nullam in eisdem possint sensus physicam devincere evidentiam.

*Contrà* : atqui evidentia physica sedem possidet quoque in veritatibus intelligibilibus : ergo redit argumentum. *Prob. min. subsum.* Vel hujusmodi veritates aliquo pacto a sensibus pendent, vel non ; si secundum : falsum est, ergo, quod omnis nostra cognitio vel mediate, vel immediate ortum a sensibus ducat ; si primum : in eisdem, igitur, ut constat, sedem quoque habere debet physica evidentia ; ac per consequens sola evidentia physica veri dijudicandi Criterion statui debet.

§. 329. ℞. Vel Adversarii nostri in luce meridiana cæcutiunt, vel patientia nostra abuti ardent. Siquidem eo pacto dicitur quis, mediis sensibus, intelligibiles, ac theoricas dignoscere veritates, quatenus meta-

metaphysicarum disciplinarum semina, vel demonstrationes aliquas sive a Magistris initio audivit, sive proprio marte per libros didicit. Ast nonne insanire est, adstruere, hoc pacto ad veritates intelligibiles, evidentia physica mediante advenire? nemo est, qui non videt. Sileant, ergo, Oppositores nostri, utpote vera, ac genuina evidentia formale est veritatis Criterion.

Hæc tibi tradidisse sufficiant nunc, Franciscana Juventus. Faxit Deus, ut meliora mente exorner, quoniam utiliora his ad tui privatum usum scribere non omittam!

*Logica Finis.*







